B 1,579,989

CLEMENS FRIEDRICH MEYER.
Deutsche Sprache und Literatur.
№ 694.

Library of the University of Michigan
Bought with the income
of the
Ford - Messer
Bequest

333.3
-77
V4
S9

CLEMENS FRIEDRICH MEYER.
Deutsche Sprache und Literatur.
№ 694.

Library of the University of Michigan
Bought with the income
of the
Ford - Messer
Bequest

833.8
-77
V4
S9

BIBLIOTHEK

DES

LITTERARISCHEN VEREINS

IN STUTTGART.

LXXIII.

STUTTGART.

GEDRUCKT AUF KOSTEN DES LITTERARISCHEN VEREINS.

1863.

PROTECTOR
DES LITTERARISCHEN VEREINS IN STUTTGART:
SEINE MAJESTÄT DER KÖNIG.

*

VERWALTUNG:

Präsident:

A. v. Keller, ordentlicher professor an der k. universität in Tübingen.

Kassier:

r Zech, ordentlicher professor an der k. universität in Tübingen.

Agent:

Fues, sortimentsbuchhändler in Tübingen.

*

GESELLSCHAFTSAUSSCHUSS:

Böhmer, stadtbibliothekar in Frankfurt a. M.
rath dr Grimm, mitglied der k. akademie in Berlin.
fessor dr Haßler, conservator der vaterländischen kunst- und alterthumsdenkmäler in Ulm.
freiherr vom Holtz, obersthofmeister Ihrer Majestät der Königin in Stuttgart.
G. v. Karajan, vicepräsident der k. akademie in Wien.
E. v. Kausler, vicedirector des k. haus- und staatsarchivs in Stuttgart.
Klüpfel, bibliothekar an der k. universität in Tübingen.
O. v. Klumpp, director der k. privatbibliothek in Stuttgart.
Maurer, ordentlicher professor an der k. universität in München.
Menzel in Stuttgart.
Pauli, ordentlicher professor an der k. universität in Tübingen.
Wackernagel, ordentlicher professor an der universität in Basel.

PAUL FLEMINGS

LATEINISCHE GEDICHTE

HERAUSGEGEBEN

VON

J. M. LAPPENBERG.

STUTTGART.

GEDRUCKT AUF KOSTEN DES LITTERARISCHEN VEREINS

NACH BESCHLUSS DES AUSSCHUSSES VOM NOVEMBER 1859.

1863.

DRUCK VON L. F. FUES IN TÜBINGEN.

Digitized by Google

PAULI FLEMINGI

GERMANI

POEMATA LATINA

ANTEHAC NON EDITA;

AD INCOMPARABILEM ET MAXIMUM VIRUM

CASPAREM BARLÆUM,

POETAM ET MEDICUM.

Incomparabili Et Maximo Viro Caspari Barlæo, Poëtæ Illustrissimo, Et Doctori Medico Publico Indicinam Officiosi Cultus Testandæque Observantiæ Poëmata Hæc Mea Latina Consecro Offeroque Paulus Flemingus Germanus.

162941

SYLVARUM

LIBER I,

IN QUO

HEXAMETRI.

Clarissimo Et Maximo Seni Cunrado Bavaro In Alma Lipsia Doctori Publico Veteri Erga Ipsum Observantiæ Testandæ Consecro Paulus Flemingus.

HEXAMETRI.

1. Quot domino servi, tot hostes.

Nempe fides constricta metu dominisque coactum
legibus obsequium paucos durabit in annos.
Invitus, quodcunque facit, renuentibus orsis,
aggreditur mancosque manus modo serva labores
efficit et segnes non vult dediscere mores.
Forte quid affectant, domino spectante, ministri
et se velle probant incæptis pergere curis,
non operæ parcunt, nil non superabile credas,
quum notat expressus constantia munia sudor.
Ast facies ubi cedit heri fervensque verendi
hortamen monitoris abest, mentita fathiscit
cura suisque cadit simulatus nisibus ardor;
infectum marcescit opus perjuraque sponsam
frangit turba fidem. Nam libertatis amorem
ingenium vel vile sequens se subtrahit ultro
servitiis vetitoque silens sese eximit ausu.

Scilicet imperio libertas fortior omni est,
fluxus amor, quem jura ligant. Res libera amara est
alterius nec spontis opus. Quæ mutuus unit
sensus, in æternos possunt durare nepotes.

Quod si dira lues hostisque marita, marito
ægre nupta suo, est; quanto crudelior hostis
servus erit, qui lege timet paretque coactus.
Libera vita placet cuivis, maternus alumno
humor hoc immulget, non velle subesse secundo.
Egressum rimatur avis sub carcere clausa
et redit ad primam dimissa cateja figuram.
Ipsa Diana nihil canibus venabitur ægris.
Imperiosa ruunt, rigidum durabile non est
et cadet, invito quicquid susceperis orsu.

*

18 lies amore est.

Quod metuis, quid amare potes? quid ameris ab illo,
quod timuisse soles? Quare contraria cessent.
Unus amor cunctis et honor siet omnibus unus!

2. Summum jus, summa injuria.

Justitiam non stricta sequi, non torva tueri
fas licitum rigideque suo mens dedita juri
exiget, ut laudem. Longe felicior illa est,
quæ facilis justo placidum conjunxerit æquum
nec genio dabit omne suo. Quæ pacis amore,
temporis ingenium cum caussæ pondere librans,
provida de proprio nonnunquam jure remittit,
hæc novit servire suo pro moribus ævo,
nec sibi sola sapit. Concordia prævalet illi,
quæ positis junctum cum legibus æquat honestum,
et malit nocuisse sibi, quam defleat alter.
Qui totum sub parte capit, fraudatur. At audi:
Non satius perferre dolum, quam inferre videtur?
nec fraus hæc nocitura tibi? Contentus abito,
dimidium sortite boni. Non exige cuncta
ad caput. Utilitas non est, quæ visa videtur,
et damnum non raro juvat. Mihi certior audit
pars, quam possideo, dubio quam quod pede totum
insequor et fluxis propero comprendere palmis.
Lubrica fallaci namque altercatio talo
nititur et certo nescit lis poplite stare.
Radit avarus opes; opibus fraudatur iisdem,
dum veram non novit opem, queis gaza paratur.
Hic, velut iste canis, potiundi fervidus auri,
auriparam cum truncat avem, spe fallitur omni
et fatuum se sero gemit. Dedisce sitire,
cymbia stant vacuata mero. Miserere clientis,
qui dare plus, si possit, avet, dum subditus urget,
ulterius se posse negans soluisse tributa
et sua regali deponere debita fisco.
Dimidium rex demit opum, quas incola debet.

*

3 lies exigit.

Libera dat, non pressa manus, frons atque datoris
secula sumenti prodit venientia regi.

3. Chreia.

Quantus Aristoteles fuerit, quod mentis acumen
traxerit a superis, quo fortunatior omni
extitit et cunctas naturæ exhausit abyssos,
Aonio liquet omne choro, monumenta loquuntur
et pleni deitate libri, queis nescius urnæ
cana perennavit redivivæ sæcula famæ,
phœnicis simulacra gerens, qui vivere lassus
præ senio, juvenes ex se sibi procreat annos.
Ille sciens, quid nosse deos, quid habere parentes
et quæ utrosque pio deceat reverentia nato,
non leve sit mortalis opus benefactaque patrum
cum Jovis æquali librans in lance, fatendo
asserit, ingenuos tantum debere nepotes
patribus, indigenis quantum debebimus, ipsis,
quosque patrum decet esse vicem. Pede currit eodem
et patris et doctoris opus. Quod ducimus auram,
ille dedit, sed hic ire facit melioribus ausis,
erudit et totam melius traducere vitam.
Qualiter informis facies incondita glebæ
nil splendoris habet, jacet abjectissimus auri
primus amor, lutulenta merum quum terra nitorem
obtegit, et totis sinit haut radiascere gemmis,
donec iners turpem deponat massa figuram,
artifici tractata manu. Tunc splendor in artus
immigrat et claris fulgent ancæsa pyropis.
Sic ubi primævas puer haurire incipit auras,
est informe lutum, rude corpus et omnibus expers,
quæ faciuntque decentque hominem. Levis halitus ori
insidet, hunc præter nihil est, quo vita notetur.
Post ubi doctrices obeunt sua munia curæ
et studium natura juvat, doctrina fidelem
præstat opem, tacitis animus capit ignibus aurum,

*

4 linquet Hs. 10 et quis Hs. 13 lies ingenuis. 21 lies honor.

dissimilisque sibi radiat, gavisa nitorem
miratur mens ipsa suum perfectaque demum
molliter Aonio ridet natura favore.
Sic Clariis mage, quam vitæ debebimus ipsi.
Hoc superum pia cura facit. Quid, nate, rependes
indigenis, quod vivis homo? Quid, nate, parenti,
quod genitus? Bene quod vivis, quid, docte, magistro?
Primus honos datur ergo deo, genitoribus alter,
tertius ingenuis, qui te excoluere, scholarchis.
Par tribus his gratæ reverentia danda juventæ est.
Hisce, quod est, est tota tribus, tribus incipit illis
felicique tribus vita decedit iisdem.

4. Satyra.

Splene magis, num bile agitor? Sic fervere totus
occipio, calor et tremulos percursitat artus,
et tamen in medio cogor ridere furore.
Rideo, ridebis mecum, quicunque cerebrum
non in calce geris. Sed et indignabere mecum
stercoreo genio vervecum de grege Bruti
aut potius miserebere, si liceat misereri.
Sed quid enim multa te ambage moror? Mihi verba
præpediunt calamum, in satyram jurata petulcam.
Audi! — Sunt quidam, pepo queis pro corde vacans est
scrutaque pro cerebris et pro ratione Midæ vox,
et tamen usque volunt, titulo ceu, sic quoque reipsa
esse magis, quam tres, cum tres horum asinorum
non faciant unum aurito cum bregmate mulum.
Hos ni delectat mea Clio, ut quæ nimis Olsce
ac Volsce et casca cum matre Evandri loquatur —
quod mirans potius, quam noscens Marculus oncet —
verbaque de priscis emendicata tabellis
me proferre ferunt, ad quæ quidem opus retegenda
sit Nomenclatore Junii seu filo Ariadnes.
Vix unos licito delumbo pectine versus,
amodo stentoreo ructat pulmone Barænus

*

8, 39 gemitus Hs.

istud herile sacrum: Procul antiquarius esto!
Quid sibi cum priscis vult ista vacerra latrinis?
Publica forma loqui placuit, placet atque placebit.
Edepol egregias hoc pro, reverende magister,
solvo tibi grates: quis enim te doctior alter?
Sed, domine, ignoscas, si paullo liberius rem
tecum agito. Rigidum quis te posuit censorem
aut dedit officium venerandi grande Sinonis,
ut me publicitus per tetrica rostra notares?
Sit tamen! At quidnam reris meme esse loquutum,
Pacuvii vomitus redolens vel scyphala Matti?
Dic age, rumpe moras! Ungues quid rodis aduncos,
strigosam et nares ad frontem contrahis amplos?
Fare age! Sed mutes, Cynicus canis? Ast ego numquam.
Sic decet aversum immeritis proscindere sannis?
Scilicet hic mos est, si quis quæ proferat unquam,
quæ non e triviis tonstrinarumque tabernis,
sutorum et circis olidisque petita catastis,
barbarus extemplo est, monstrum lustroque piandum et
portari dignum in terras a plœbe remotas;
omne tibi similique tui (horum larga fuit merx
horno annoque satis), quod prima fronte resistit,
carnosumque caput vestrum fibrasque suillas
ceu fato refugit, certe est emortuum et Olscum.
O ter sanctæ animæ, o exortes funere manes
Livi, Lucreti, Maro, Persi, Apulcje, videte,
quid vobis jam fata tonent (si fata beatis
imperitant.)! Lugete malum! Sic gloria vestra
omnis in Oceano inscitiæ jam mergitur amplo.
Et tu Castalidum decima, o mi Plaute, valeto,
o os Aonium, per quod latiare Novenæ
non puduere loqui, quem nunc damnaris ad orcum,
pulsus ab orchestra? Quis ad hunc non nauset ut hircum?
Tempus erat, quo Plautus erat bona regula linguæ
et princeps Latiæ. Sed quantum distat ab illo
hoc nostrum, superi! Jam si quis forte loquatur

*

30 lies Simonis. 34 aduncas Hs. 55 pulgus Hs.

cum Plauto, statim sciscit dominus ferularum:
»Unde sed istud habes?« Ego: »Plautus habet.« »Quis at istunc
te jussit«, rudit ille, »sequi? Non omnibus autor
hic valet.« Ast ego: »Sed quid ni? Melioribus autem.«
»At qui sunt isti meliores?« oncat Oberus.
»Scaligeri, Taubmannus, Barthius, Heinsius, inquam,
et reliqui, queis rite salit mammilla sinistra.«
Ille tamen contra: »Sed quis mihi noverit istos?
Hic extraneus ordo virum quid pertinet ad nos?
Nostra sibi propria claros Academia nutrit
laude viros, hi dux nobis, hi regula sunto.
Si fueris Romæ, Romano vivito more.
Quid moror externos? Invisus his quoque Plautus.
Hi tantum«, Baubanus ait, »mihi sunt meliores.
Anne scaturit enim Latiæ fons iste loquelæ
fecibus ex Plauti vel quisquiliis Apuleii?
Tersior hæc ætas, nostro dicente decano,
reicit et a priscis emendat nomina nævis.
Noster erat et erit Cicero. Ciceronis enim, pax!
sola triumfatrix sermonis palma latini est.
Hæc gerit incinctas æterna laude capronas;
Ausonios hinc disce modos formamque loquendi.
Hunc præter nullus, cui tuto fidere talo
possis atque styli succos haurire maritos.
Noster hic est, hic noster erit nosterque manebit,
audiet et nostri hic sola unica norma Lycei.
Tute moletrinam cum Plauto verre et apludam
pinse meram; nos farre sumus saturi Ciceronis.«
Dixit et adspiciens transversis me Dacus hirquis
ibat et averso mussabat pluria labro.
Monstriferax ætas, bardorum fertile tempus,
quas paris exsuvias hominum, quos tauricerebros
progeneras Faunos, quæ pectoris indiga corda!
O caput Anticyris quatuor non restituendum!
Quorsum tam properas? Tollutim, blenne, badiza!
Quæ tibi sufficiet staphis agria? Quod piper omne
tam multam poterit capiti detraxe saburram?
Bessibus, unce, tribus, si non magis assibus, hoc nam

præstat, emas pyretrum; pituitam dejice cribro
helleboroque lita pleno rancore cerebro,
aut te suffocat, si labitur, iste catarrhus.
Pharmacopœe, sali, venibis zingiber omne.
Cras licitabitur hic cunctum cum pyxide turbith.

5. Gratiarum Actio.

1633. Mai.

Jamque premit res nostra scopum. Solennis honorum
tela verecundis nobis est texta figuris.
Prendite non vulgare decus, quos publica patrum
inter honoratos numerant suffragia census.
Sic medias inter clades atque intima belli
viscera, quo nullum vidit productius umquam
sol pater aut crudele magis, suus artibus exstat
securis cum spebus honor. Furiosa quietæ
implacidi Clariæ derident fulmina Martis
nec Phœbo nocet ille furor. Diffusa per orbem
sanguinolenta rubris Bellona superbiat armis
atque cruentatas evibret Marspiter hastas,
lenia dum placidum tranquillant otia Pindum
festaque pacificæ traducunt tempora Musæ.
Hoc tibi clementis dedit indulgentia cœli,
Misnia, tam grandes potuisse domare phalanges
et victrix audire globi, quem territa factis
fama per omnigenas invictum sparserat oras.
Tot populi timuere virum, tremuere pavendum
nomen et advento parebant cuncta voloni.
Hic fastus cum sorte jacet, tot fausta per annos
turma cadit cassisque ruunt exercitus armis.
Et tu chara deo, telluris ocelle Misenæ,
Lipsia, ferales nimium bis passa furores,
bis lacrymis maduere genæ, bis largior inde
risus ab exterso nituit tibi lumine fletu.
Thura cui, cui liba paras? Agnosce salutem!
Ille pater patriæ, cui nil antiquius unquam,
quam pietas et plebis amor, tibi prætulit enses,

atque tui certum statuit subiisse periclum,
conjungens cum rege manum, cum rege Trionum,
quem nunc inferior functum quoque lacrymat orbis.
O salvete, pii sanctissima numina regis,
sive salutari mavultis nomine, manes,
o salvete mihi! Si quod post fata meretur
tanta decus pietas, tacitissima gaudia carpent
ossa nec egelidum fuerit sine corpus ovatu!
Jam soles meliora nitent. Furor ivit ad Orcum
atque truces cecidere minæ. Redit incola pagis
notaque dispersi properant ad mœnia cives.
Aurea lucidulis pax nos circumvolat alis.
Fertiliora Liburneo stant pota cruore
rura gravesque olim spondent sata jugera messes.
Ver redit et cum vere novo decor integer anno
et Musis antiquus amor, qua Lipsia fulvum
miscet in astra caput, pandis se Flora rosetis
explicat et pictis vincit nova prata figuris.
Lætior hic sellam conscendit Apollo curulem
et reduces repetunt anabathra relicta Camœnæ.
Legibus hic priscis, quas nulla coactio frænat,
primævo sub jure vacant, nihil hosticus ensis
truncavit meritis, nil libertatis ademit.
Hic lauros Pindus tiliis, hic Castalis almas
cum Plissa mutavit aquas. Sophus ipse sophorum
Cynthius ex merito delegit jure decanum
teque suam, Bayere, vicem jubet esse. Sororum
quælibet in doctos transfert sua nomina Phœbos.
Auspiciis, Hornschuche, tuis, nunc sistimur, ante
quos Schumana fides, quos et Corvina suada
et Charis affinis Clariis Aviana deabus,
censuris obiere suis, quos Pollia vidit
Terpsychore tantisque pares Olearius ausis
censuit et toto sua fert suffragia Pindo.
Muneris hoc, deus, omne tui est. Te vindice sumit
imperium schola nostra suum. Tibi patria tota
gaudet et alta canens vacuis agit otia bellis.
Perge, pater, patriæque patrem, qui providus hujus

altor Athenæi, qui non mutabile nomen
asserit et cunctis est cancellarius annis,
incolumem tueare diu. Dedit ille, quod hoc est,
Martisburgiaca conclusum nempe cathedra.
Hinc ambit nos pronus honor. Sit gratia facto
tuque pium tege, Jova, ducem, rege principis aulam;
in juvenes attende duces, quo Misnia fœlix
gaudeat et tanto numquam viduetur ovatu.
Jam tibi, magnificæ gestator epomidis alme,
Castalii decus omne chori, Müllere, litamus,
et gratas damus ore preces. Tu seria rerum
et grandes animi curas, queis publica volvis
commoda et Aonias sapiens moderaris habenas,
ad tempus posuisse potes fulgensque videri,
inter honoratos pars es celsissima patres.
Pandimus hinc mentis tibi pro mercede sequelam.
Te nostræ celebrant Charites memoresque favoris
lenia suscepti spondent tibi munia sceptri.
Et tu, nobilium flos illibate virorum,
electoris amor, nostræ decor aureus urbis,
has grates agnosce tibi, quas promimus omnes,
quod præsens et noster ades. Memorabimus illud
et magni pendemus opus nec tanta favoris
excidet e nostris præstantia mentibus unquam.
Nunc vobis referenda charis, radiosa senatus
lumina, diversam consul Mayere per urbem,
o vos plebis amor et honoræ gloria gentis.
Vos quamvis gravium moles premat ardua rerum,
attamen hos nostros spectastis amanter honores,
hoc vestri candoris opus. Desumite grates,
quas ferimus prægnante manu. Jam solvere verbis,
quod quondam re forte juvat. Salvete, patroni,
vestraque felicis defendite commoda curæ.
Nec taceam vos theologæ clara astra tiaræ
atque Dices medicique simul pia nomina Phœbi,
vos Spartæ grave quisque suæ decus estis et astra.
Hic vobis debetur honos, hæc gratia vestra est,
in tantum nostro quod jam studuistis honori,

tamque freqnens nos exhilarat consessio vestri.
Hic vobis debetur honos, hæc gloria vestra est,
quam quia cor nulli patet, ore fatemur aperto.
Dum fuerit nostri pars ulla superstes in orbe,
non capient facti nos ulla oblivia tanti.
Sed ne, Musa, nimis campo spatieris aperto,
cœtera multa brevi, quæ restant, contrahe gyro.
Hornschuchi, gravidas ferimus tibi carmine grates,
jura magistralis quod jure vicario honoris
omnibus in solidum nobis hac luce dedisti.
Cuique modo Janus dedit ille Georgius, heros
Saxo, potestatem vicecancellarii, adesto,
Schumane, Aoniæ non ultima gloria turbæ,
accipe perpetuas, vicecancellarie, grates.
At vos, quos veneror, Parnassia sidera, proles
Palladis, exculti virtute ac arte magistri,
profectus æque nostros qui nostis et æqua
librastis trutina mores habitusque decentes,
quas vobis, proceres, tanto pro munere grates
solvamus? Quæ dona æquale valentia demus?
Vivite! nam dignis par est componere votis,
quod facto res dura negat. Salvete perenne
et seri supereste patres. Academia tantis
clareat aucta viris pariatque quotannis honorum
pignora, queis studiis totum sibi demeret orbem.
Vosque professores reliqui, vos atque magistri
et quicunque alii domina venistis ab urbe
aut peregre variis huc confluxistis ab oris,
arte boni, virtute graves, quos pulpita circum
conspicor, intensi certissima gloria patris,
vos, inquam, nostros visum venistis honores,
et vestra juvistis ope, queis testibus olim
stabimus et seris tuti defendimus annis.
Larga perennanti vobis sit gratia censu
pro facili accessu, promptæ pro munere mentis,
auris et officio placidæ. Vos asserat omnes

*

114 honores Hs.

incolumes panacæa dei, cui sacra probastis
officio præsente. Favor vos almus Olympi
protegat et canis felices sospitet annis.
Denique vos juveni pubentia nomina flore,
nobilitatis honos et spes non infima Pindi,
ite salutati. Præsens testamen honoris
sumimus, at grati memorique reponimus ævo.
Tempus erit, vobis quo par debebimus olim
gratæ mentis opus. Nec enim delebitur umquam
ex animo, quod vestra bonum præsentia vultum
attulit et finem sic eduravit ad ipsum.
Ite salutati simul, ite, quod obsecro! Dixi.

Lipsiæ in panegyri promotionis magisterialis,
MDCXXXIII. m. Majo.

6. Epithalamium.

1634. Nov. 27.

Felices animæ, quarum conamina firmat
ipse parens autorque potus! Connubitis ambæ
faustiter et dextri concurritis omine fati.
Non Amor et turpis mater magis improba nati,
non fictus vos jungit Hymen, procus exit Olympus
et vobis vos ipse ligat; tibi pronubus aër,
sponse, favet, facilisque tuis in amoribus ignes
excitat et sacras prælucet ab æthere tædas.
Nec minus est, quod, sponsa, tuo læteris amore.
It pudor, arcanus secreti pectoris infans,
virgineasque suo, parvi Saturnius orbis,
perpluit imbre genas. Laudanda modestia; bellæ
rara comes formæ, medio tibi dulcis in ore
regnat et in roseo residet reverentia vultu.
Præ foribus famuli, video, famulæque morantur.
Quis dominam pulcra tam puri in pectoris æde
virtutem neget esse domi? Produceris ergo,
virgo mox moritura, viro, quod et ipse veretur
nomen adhuc primæque timet quasi prælia noctis.
Este bonis animis! Si corpora nuda ferendum est,

heic etiam nudis tantum pugnatur in armis.
Principium mors illa novæ est et janua vitæ.
O utinam moreremur item, quibus unus et alter
annus abit, vitæ nec eunt tot mortibus ullæ!
Viventes morimur, morientes vivimus. O vos,
o quam vos nobis agitis fœlicius ævum!

MDCXXXIV. d. V Kal. Decembres,
quæ nuptialis erat Moscuæ.

SYLVARUM

LIBER II,

IN QUO

ELEGIÆ.

Viro Excellentissimo Et Maxime Claro Adamo Oleario Theologo, Philosopho, Politico, Rhetori, Poetae, Mathematico Undiquaque Consummato, Itineris Asiatici Comiti Nunquam Non Delectabili, Tenerrimi Affectus Pignus L. M. Q. Offero Paulus Flemingus.

ELEGIÆ.

1. Georgio Glogero meo.

Um 1630.

Quid valeat spes fulta Deo, quid fidere coelo,
exprimis exemplo, chare Glogere, tuo.
Jam post charorum lugubria fata parentum,
immo post patriæ funera mœsta tuæ,
non tibi de merito gazæ solvuntur avitæ
et testes patriæ sedulitatis opes.
Omnia fiscus habet, sed nec tibi copia tuto
ad consanguineos visere posse Lares.
Relligio parit exsilium. Sic indigus omnium
pulsus in ignotum cogeris ire solum.
Sat misero licet esse tibi. Tibi desit abunde;
exsul quam nullæ conditionis homo est!
Sed neque te minor es, neque te sinis esse periclum
majus, in ingenti fortior ipse malo.
Una tibi totum fulcit fiducia pectus,
opponis tantis mascula sensa malis.
Maturat spes fixa moras cum tempore crudas,
hæc lentam stabilis accelerabit opem.
Omnia sub dubia gaudent vertigine luna.
Non, male si nunc est, sic male semper erit.
Frigida degeneres male desperatio mentes
arguit, in fortem non cadit illa virum.
Spes fovet ingenuos. Felix spe divite dives,
hac feret æquanimis fata noverca fibris.

2. Dedicatio Disputationis de Carbunculo ad Philippum Müllerum, V. Cl. Medicum et Mathematicum.

1631. April 20.

Ne dono fallare meo! Carbunculus hic est,
non sed in arcano gemma corusca die.

Nec donum vereare meum! Carbunculus hic est,
non sed in abstruso qui necat igne viros.
Nulla sub exposita celantur toxica peste
nec cum tam celebri nomine dantur opes.
Artis opus sine fraude damus nudasque papyros,
chartaque, qua fuimus terror amorque, fuit.
Cætera turba suos gemmis sibi quærat achates,
non fuit hoc nostræ conditionis opus.
Mors quod erat multis, per idem mihi spero salutem,
sic vel ab ingrato funere gratus ero.
Non prodesse volo, volo nec nocuisse. Quis ausit
noxia pro gratis, pro mala ferre bonis?
Maxime vir, mihi fautor eris, mihi nulla nocebunt,
fautor eris, solum sic mihi dives ero!

Lipsiæ.

3. Ad Georgium Glogerum, Amicum unum, ut secum domum concedere velit.

1631. Juli 12. 13.

Ergo veni, nostræ pars o purissima mentis,
delicies cordis prima, Glogere, mei,
ergo veni, quo vota vocant non vilis amici,
quem sueras animam sæpe vocare tuam!
Dum jubet ad notos me patria litera fines
visere et indigenæ sacrificare Lari,
te socium mihi junge viæ. Non ardua res est.
Pignus amicitiæ gratificare tuæ.
Jam, memini, plenum digessit Cynthius annum,
hunc super instaurat cornua quarta soror,
quum comitem meus esse meum te Mulda videret,
Mulda, secans vitreis arva paterna vadis,
cum varios curvo legeremus littore flores,
quas tibi servarat gemmea Chloris opes.
Ut mea jucundi recreabant pectora calles!
Ut mihi ridebant, te comitante, viæ,
quando levi comes manabant ore lepores
misceresque tua risibus arte jocos!

Ipsa mihi via visa fuit contractior iri.
Præpediit præcox vota viantis iter.
Jamque veni! Te, chare, vocat, qui me vocat idem,
quem poteras patrem jure vocare meo.
Blanda profecturis roseo favet æthra lepore,
coerulus enituit, sed sine nube, polus.
Temperat ignivomum genialior hora Leonem,
Sirius et viduos mitior urit agros.
Non metuas nequam stratagemata tecta latronis,
Lar pacat sociis lene vialis iter.
Non via longa nimis, non est ingrata meanti,
sed quam crebro refers tam placuisse tibi.
Sæpe per irriguis humentia prata pruinis,
sæpe per orbatos frugibus ibis agros.
Nec tremulus deerit nutante vertice lucus,
lenibus hospitium lucus Etesiolis.
Hic juvat algidula foveamus membra sub umbra,
membra sed infensam non dolitura viam.
Vernam vicini Cererem dabit incola pagi,
et quæ coxit anus rustica, zytha feret.
Hunc licet edurus, Dithyrambe, neglexeris orbem,
non solus laudem fertilitatis habes.
Frigida pampineo præstat cerevisia succo,
quando calor sitiens debile corpus habet.
Hinc ubi sol prono delabi cernitur orbe,
occiduis propior jam modo factus aquis,
vespera, post gratæ solamina blanda quietis,
rursus ad explendum nos revocabit iter.
Ibimus et paucas emensi grèssibus oras
fabimur alterna, voce fluente, vice:
»Hæc nostro stat meta pedi. Jam cernimus arva,
fumat ubi seris Mulda Variscus aquis.
Hic Wechselburgos distinguit terminus agros.
Una dies patrias nos stitit ante fores.«
Cernis, ut amplexum properat pater entheus ambos
et mihi materna juncta noverca fide,

*

33 nutanti Hs. 53 properet Hs.

ut lassant in vota manus, ut fratris amore
sussilit et noti læta Sabina sui.
Huc intra vilemque casæ non sperne recessum,
fagea nec nigræ limina temne foris.
Non hic Assyrio beluata tapetia mure
velaque non Tyrio tincta colore vides.
Regia sic textis resplendent atria telis,
sic sua Tarpei præsidis aula nitet,
urbicus hic mos est, pago non notus agresti.
Villa sua tantum simplicitate valet.
Rusticus es mecum. Nihil hic regalia curat
nec sua divitibus invidet ille viris.
Nos juvet in molli non grandem sternere mappam
gramine et ad pronas accubuisse dapes.
Sic constat crudas ingentem Cæsara rapas,
salgama sic magnos lingere suesse duces.
Forsitan hic aderunt nostro sapitura palato
et sua paganus, queis epuletur, habet.
Proderit exemptus vicino flumine salmo,
quamque tulit, juvenis, caula paterna, capra.
Indigenæ pulli plenisque ex cortibus ova
et sapidum, quod dat patrius hortus, olus.
Nec deerit, nostra sed non natalis in ora
Bacchus et ex verna pinguia zytha vasa
dignaque, pauperibus quæ desunt, unguina ferclis
fors poterunt lepidi restituisse sales.
Non tibi sit tanti rurales spernere mensas,
ut nunquam locuples rusticus esse velis.
Turba beata hæc est et amico proxima cœlo,
quod pura gaudet simplicitate coli.
Scilicet immensi villas coluere monarchæ
nec puduit magnos rus habitare viros.
Jugibus arrident viridantia prata poëtis,
non locus Aoniis gratior ullus heris.
Rure dedit celebris victura poëmata Flaccus,
favit et Ausonio villa quiete metro.
Me quoque Lipsiacis paullum secedere muris
Phœbus et ad patulum jussit abire nemus.

Mollia dum placidi carpebam munera somni,
nuperus ante meum constitit ipse torum,
hæc referens avido tibi quæ narrabo novarum,
quæ nisi visa, mihi non habitura fidem.
Est locus, in geminos ubi cornua porrigit amnes
Mulda, Grimæ vitreis conduplicatus aquis.
Æternus tremulo præmunit vertice lucus,
templa natatricum cærula Naiädum.
Circum lata jacent gemmantis prata vireti
perpetuoque Pales gramine vestit humum.
Bacchus ibi semper matura pampinat uva
et legit ex hortis Flora perenne decus.
Lubricus e scopulis rivorum murmurat error,
garrit et in resona valle modalis avis.
Non canis immiti premit Erigonëius æstu,
non densat sterili frigore bruma solum.
Lene sed ingentem ver hic se temperat annum.
Cœlitibus sacram dixeris esse domum.
Mox, ubi primo suis resciscet Apollo ministris,
nos bene vix patrias jam tetigisse fores,
transferet huc totum bifido cum vertice Pindum,
hic quoque Pegaseas ire jubebit aquas.
Huc Zephyris blandum nos invitabit amicis
Phœbus et ad dictum poscet utrumque nemus.
Stat gravis in medio viridante cacumine prato
laurus et erectas jactat ad astra comas.
Hinc pater æterno decerptum pollice ramum
circinat in serti schema teres nitidi,
huc adolescentes umbrans mihi fronde capillos
proferet hos binos: esto poëta! sonos.
Dixerit ut, claris ferietur ut æthera verbis,
quælibet ut panso faverit ore dea,
totus honorata tumulabor Daphnide sicque
deferar ad patrias non sine laude fores.
Tu quoque noscenti bona verba precare poëtæ
atque vove vati prospera quæque novo.
O animo nostro nullis delebilis annis!
O mihi Nisæa plus adamate fide!

Ne tibi sit tanti caros sprevisse precatus,
ut nolles Pyladi voce favere tuo,
ut nolles nostram voto mulcere Thaliam;
cujus eras autor, jam quoque testis eris.
Te duce laurigeris cæpi notescere musis,
te duce Pimpleus favit Apollo mihi.
Salveat ista dies, quæ te mihi cernere prima,
quæ dedit alloquium prima bibisse tuum!
Salveat et niveis reducem vidisse quadrigis
sæpe, sed incolumem, me mea Parca sinat!
Ut mihi fautoris facies fuit aurea cœli,
ut mihi fortunæ prodiga Cypris erat,
quum rata conjunctæ pepigerunt fœdera dextræ,
fœdera fatali non violanda die!
Viderat hærentes seris amplexibus ulnas
et decussatas Phœbus Apollo manus.
Vidit ut, ut saliit, ut sternuit omina dextra,
nutans intonsis terque quaterque comis,
mox ter tres blandum nobis risere sorores,
quælibet et votum voce manuque dedit.
Audiit hoc Lachesis Theseaque fila maritans
nevit Pirithoæ vellus amicitiæ.
O mihi si tecum prima licuisset ab hora
vivere, cum poteras Lipsica nosse sola!
Ut vellem, ut votis optarem plenus anhelis!
Obsteterunt fato sidera tarda meo.
Jamque sĕmel niveis discessit bruma favillis,
adfuit et flava spica secunda coma,
ex quo contigui tibi me junxere Penates.
O ætas animæ deliciosa meæ!
Inde quot et quales horarum rumino mecum!
Quot mihi purpurei sunt in amore dies!
Quæ non docto alui tecum colludia junctu?
Qui juxtim Clarii non micuere sales?
Tot licuit nitidos tecum mihi fallere soles,
ducere tot placuit pervigiles Hecatas!
Te niveæ Veneres, te casti pectus honesti
dives et abs omni crimine liber amor

et studia studiis primum contraria nostris
unanimi mecum constituere Lare.
Sæpe mihi libuit Musis certare latinis
teque rudi ad numeros sollicitare metro.
Quam bene, quam doctas elexi, numina, gemmas
proque meis tetricis aurea verba tuli!
Sæpe etiam, genio nimium ne turpidus essem,
falleret et curas mens agitata suas,
in mea Teutonicas lassavi vota Novenas,
Opitio genitas perpetuante deas.
Materiem dabat ipsa Venus nitidique lepores,
sed neque scripturum destituere joci.
Nec rata successum fallebant ordia sponsum,
Cypripor autorem visus amare fuit.
(Quisquilias qui laudo meas, ignosce, sodalis,
quilibet affanias quid putat esse suas.)
Ast ubi vestra meis conjunxi seria nugis,
languit ad majus parva nitela jubar,
qualiter albentis sub prima crepuscula mane
cum choreis tabet pallida luna suis.
Singula cinnameos halabat vocula nares,
abluit in numeris se lepor ipse tuis.
Te sortes stant stante meæ, te præsule fido
tendunt Thespiades ad graviora meæ.
Tu mihi Pæoniam pandisti primus ad arcem
limina et intonsi fana severa dei,
sive salutiferam privus mihi prælegis artem,
sive doces medicos publicus inter heros,
sive foris dominas fatorum dispicis herbas,
nec puduit lateri me sociasse tuo.
Plissiades nosti formosaque numina vallis,
dignæ a Pæstanis nomen habere rosis.
O liceat cunctam tecum mihi vivere vitam,
o oculis caris carior une meis!
Per mare, per terras, per inhospita tesqua, per Indos,
horribilesque Alpes Sarmaticamque nivem,

*

193 Pæaniam Hs. 199 nostis Hs. 204 Salmaticam Hs.

quoque suas potuit victor posuisse columnas,
te sequar, o animi dux cynosura mei!
Indivulsa tuis hærerem gressibus umbra,
sive rapis Stygio lurida naula seni,
sive crepas mecum vocali carmina sistro,
carmina Phœbeis emodulata tonis.
Quicquid erit, quod fata mihi non improba miscent,
quod fabricat sortis regia stella meæ,
donec erit docto notus Flemingus in orbe,
te mihi conjunctum postera sæcla scient.
Scilicet in nostro tu creber habebere versu
teque vehet niveis candida fama rotis.
Tu mihi carmen eris, dilecti sero loquetur
Glogeri nomen molle papyrus anus.

Scriptum Lipsiæ
d. 12. et 13. Julii, MDCXXXI.

4. Hieremiæ Aeschelii Encomiasticum.

1631. Sept. 22.

Aescheli, Clariæ sidus prælustre catervæ,
quem vocat indigenam Pallas honora suum,
cui dedit æquanimæ geminata nitela Themistæ
purpureos inter nomen habere patres,
sive severa sacri diribis molimina juris,
invidiam summis quo paris unus heris;
sive comes dominæ tam magni Cæsaris aulæ
digeris officio munia tanta gravi;
sive baronales felici numine curas
suscipis et vacuas non sinis esse tui:
nil nisi summa libras, constantis strenuus æqui,
promus et ingentis prodigus arbitrii.
Talis erat facies, justo saturata, Quirini,
quum Latio primum mascula jura daret.
Sic stetit in rigidis cordatus Scipio rostris,

*

5 lies dirigis? 8 digeri Hs.

sic audax streperum Tullius ante forum.
Te Themis, assestrix metuendi prima tonantis,
te judex Nemesis vindicat esse suum.
Gaudet et a tanto defensum vindice Justum
explicat auratum lætius orbe decus.
Jam fugitiva Fides, profligatum exul Honestum
et pulsi redeunt, te revocante, dii.
Tot desolatæ jam jam sulcantur eremi
et quod nunc foditur, lima vepresque fuit.
Te gravidæ messes, te pleno Copia cornu
prædicat in Mysio non sine laude solo.
Auspiciis, vir magne, tuis res publica surgit.
Debentur studio nostraque nosque tuo.
Patria per sibi te rediit, te suspicit unum
et vovet, ad cœli sidera tardus eas!

Scriptum MDCXXXI.
post ejectum militem Tyllicum.

5. M. Michaeli Vogelio laurum poëticam gratulatur.

Wechselburgi ad Muldam, MDCXXXII. Sept.

Dum geris Aonia frondentia tempora lauru
et merito viridis crine superbit honor,
omnia nascenti gratantur numina vati
acclamantque novum non sine laude decus.
Qua montosa cava consurgunt culmina valle,
Wechselburgiaci culmina grata jugi,
sublimis vario conspergitur area flore
Septembrisque novo germine frondet humus,
aurea splendidulum superinduit æthra nitorem,
vernus et autumno spirat ab orbe lepor,
terra favet, favet aura tibi. Tibi pulcrior errat
lubricus anguineis, ceu puto, Mulda vadis.
Phœbus adest, soror, omnis adest cata concio Phœbi,
Pindus et, et docta Castalis amnis aqua.

*

5 Überschrift: lauram Hs.

Magnifico superum sic agmine circumfusus,
clarus honoratos sisteris ante deos.
Lumine Cæsareæ fulgens Aeschelius aulæ,
ut facias, curvo pollice, verba jubet.
Surgis et in media divini fronte senatus
lene verecundi disseris oris opus.
Lubrica verbosam pandit facundia mentem
nec minus in tali more disertus eras.
Sive placet prosa cita solvere labra loquela,
sive sedet vinctis verba ligare modis,
promptus eras. Tibi Suada decus, Lepor ipse leporem
appluit et mundum Gratia pectit epos.
Mirantur super ista dei, dum flumine sacri
larga poëtifico mellis ab ore cadunt.
Ter Charites risere tibi, risere Camœnæ
ter, ter et intonsis Phœbus Apollo comis,
qualiter in nostros applaudebatur amores,
cum similis, Phœbo dante, daretur honor.
Audio festivæ vocalia jubila turmæ
et tremo, dum sacri nescio facta gregis,
donec in ingenti medium te cernere pompa
sors dabat, et finis portio sera fui.
Quis plausus, quis acerba tibi, quis vota negaret?
Fluxit et a nostro lætior aura sono.
Si mea post ipsos tibi non sunt irrita divos
carmina, carminibus splendidus esto meis,
vel mereo si tale nihil potuisseque gratus
esse vetor, nobis sit voluisse satis.

6. Ad Amicum.

1633. August.

Audio dispositum, regalia nomina, tempus,
decretumque viæ significasse diem
jamque deesse nihil, quam quo sibi quilibet adsit
et latus ad tantam cingat utrumque viam.

*

4 utramque Hs.

Me quoque spes animat socios adjungere calces,
spes sed in auxilio tota reposta tuo.
Fallet et omnimodis mea me spes exuet ausis,
auxilium nisi tu consiliumque feras.
Per mihi me tantum numquam promisero cultum
taleve per meritum conciliaro decus.
Tu potes optatum nobis transcribere finem,
nostra tua fruitur dexteritate fides.
Quicquid in instanti bonus aut malus asseris, actu
consiliove probas vel gravitate negas;
illud honoratus negat aut probat omne senatus,
subscribunt domini, te moderante, viri.
Nec jam, quod turber, facit addubitatio caussam:
talibus eripiunt me tua verba strophis.
Ipsemet ingenti sperantem calcare mentem
officio poteras exstimulare tuo.
Quæ mihi mens animi, quæ tunc fuit aurea cura,
quando dares fidei candida signa tuæ.
Fac, quod agis, fideique suum bonus addito sponsæ
pondus et in niveum candidus esto caput.
Sive per ambustas æstu seu frigore terras,
sive procellosi per freta rauca maris,
te sequar, et quascunque datur comes ire sub oras,
pars fuero lateris non inhonora tui.

7. L. V. Adamo Oleario S.

1633. August.

Unica Castaliis, Oleari, cura Novenis,
quem vocat indigenam Cynthius ipse suum,
nuperus ille tuo Kretschmarus ab ore salutem
detulit et certum significavit iter.
Tu memor, ut petii, prout instipulatus es ipse,
non potes optantis fallere vota tui.
Sol velit aut magnus, Pindum qui servat, Apollo,
ut cito successu res fluat aucta suo.
Sistar et ad dominum, te disponente, senatum,
nec tali supplex frustrer inanis ope.

Scit Pater, ingenuo colimus quem pectore vates,
quod numen nostrum fallere nemo velit.
Tempestiva tibi congessi munera gratus,
quæ tamen ad dictos usque silebo dies,
si non illa tibi Cretschmarus prodidit olim,
interpres fidei conscius ille meæ.
Non vacuas chartas et inania carmina solvam,
quæ solæ Clariis esse putantur opes.
Est aliquid, suavi sapiat quod dulcius auro,
gratius ex juncto surgit utroque melos.
Namque meres, animis et opum vi quicquid in hac est,
serviet ad nutus et fluet omne tuos.

Salitio Lipsiam.

8. Ad Hartmannum Gramannum Legationis Persicæ magnæ Medicum.

1633. August.

Fiet, ut externas tecum concedat in oras
Flemingus, vestri non inhonorus amor.
Tu, Gramanne, decus chymici radiatile cœli
et mox captandæ dux medicina viæ,
esto favens partemque tui mihi solve laboris,
nonnihil et curæ corporis hujus habe.
Tot per mille vias terræ, per mille fretorum
te sine securo non licet ire mihi.
Namque potes dubiæ bene consuluisse saluti,
res ratiocinio non caret ista tuo.
Inter hyperboreos hiemes mihi discute montes
et placido soles permoderare gelu.
Partior hoc, quodcunque meum est, Gramanne, meique,
do tibi dimidium dimidiumque deo.
Corpus habes, deus illud habet, quod corpore majus,
quo sine nil præter triste cadaver abit.
Nempe tuum, ceu Jova suum, defende clienti.
Sic, quod utrumque cupit, vester uterque gerat.
Non puto majores a me te poscere cultus,
si mihi post Jovam proximus esse potes.

Servestæ.

9. Philippo Crusio, ICT. Legationis Moscoviticæ Persicæque Capiti.

1633. October.

Magne vir ingenio, doctrina major et usu,
maximus eloquio nec gravitate minor,
me tuus ad grandes animat favor, optime, curas
et jubet obsequio liberiore frui.
Finibus e patriis et dulci rure relicto
in vestram visi rusticus hospes humum.
Maternæ juvenem tædebat scilicet auræ,
inque uno rebar sat latuisse loco.
Mens erat, externum vel tandem visere cœlum,
et quæ non uno flumine rura natent.
Adde, quod optantem felix occasio mentem
fovit et infractam jussit habere fidem.
Præstitit hoc docti vindex Olearius oris,
ille sodalitii fama decusque tui.
Præstitit et vestram secum deduxit in urbem,
quam Ceres et Nereus Mercuriusque colunt.
Tu bonus ad visum componis lumina vatem
et nobis aliquid cordis inesse putas.
Suscipis et faciles peregrino dividis ædes.
Nulla peregrino gratia major erat.
Nec satis hoc, patrii das candida signa favoris,
subsidiis inopem consilioque levans.
Spemque foves, quæ me patriis exemerat oris,
et comitem pronæ me cupis esse viæ.
O mihi præ cunctis fautor memorande patronis,
principium voti, finis o une mei,
fautores agnosco polos dominosque polorum,
qui sivere mea me pietate frui.
Sidera, perpetui custodia conscia pacti,
arbitrio quorum subdita turba sumus,
vos per inextinctos æterni luminis ignes,
lumine vel majus si quid habetis adhuc,
vos juro, si purus abit, si criminis expers,

si mihi præsentis caussa salutis erat,
hunc salvum servate virum, seu marmora findet
nauta vel ignotam tundet equestris humum.
Non opus est, vestrum mihi quo precer ipse favorem,
a vobis aliud hic mihi sidus erit.

Hamburgi.

10. Ad Timotheum Swirseum, V. Ampliss.

1633. October.

Obtinuisse quidem tacitus mihi gratulor illud,
quod fuit in votis nocte dieque meis,
posse videre plagas alio sub sole jacentes
et mores hominum cum regione sequi.
Et jam vix patriis exivi lætus ab arvis,
nescio, quid duri mens mea passa dolet.
Hic novus hospes ago, charorum cura parentum,
qui se perpetua suspicione necant.
Nunc subit insani facies sævissima ponti
atque procellosi mobilis ira maris.
Quam leve sit, pereat tam longi temporis hæres,
et fato nimium teteriora timent.
Nunc iter et longi crescentia tædia tractus
provida sollicita pectora mente rotant.
Mille modi miseris et adhuc quoque mille timentur,
a quibus excidium natus habere queat.
Temporis incæpit jam pœnituisse prioris.
Tunc erat in Paullum libera cura suum.
Incusant stolidæ præpostera momina mentis,
tam nimis in præsens prona fuisse malum.
Jam non permisisse velint. Tot vota remittunt,
tot revocatrices et sine fine preces.
Ipse, velut dubia pendens ambage viarum
inscius infidum cursor anhelat iter,
jam subit expressi vestigia publica callis,
jam magis obscuri momina velle sequi.
Hæreo nec dubiam satis est compescere mentem,
inter et ancipitem dirigo sensa fidem.

Non leve maternas sprevisse tenaciter iras,
grande parentales posthabuisse minas.
Sed quoque susceptum fuerat culpabile munus
deserere et vani nomen habere viri.
Tu, decus Astreæ, custos sanctissime legum,
quem vocat indigenam curia vestra suum,
mascula magnanimo suades præcordia sensu
atque aliquid juvenem majus habere jubes.
»Perge«, ais, »et tantæ non sint discrimina molis,
ut retrahant animum, te trepidante, tuum.
Sit grave, sit dubium fato nec inane laborum,
pluribus et nimium, quod meditaris iter,
omne quod excellens decus est et dulce futurum,
triste, quod incipimus, sensibus omen habet.
Quanta per audaces surgunt tibi tædia motus,
tanta revertentis gloria vatis erit.
O quis amor patriis regnabit in oribus olim,
quando redux dulcem filius intrat humum!
Tunc iter et quicquid peregre tibi nobile visum est,
quod rudibus sic vix auribus esse solet,
expones avidis conviva vocatus amicis,
tota stupens docto pendet ab ore cohors.
Inter honoratos orator habebere mensas,
cum taceant magni, te referente, viri.
Perge tenax animi, tanti mihi digne decoris,
nec patriæ quondam fama pigenda tuæ!
Gratior advenies, quo suspiratior exis.
Inferior tantis est dolor ipse bonis.
Quid? Tuus in tantum dissuasor certus Olympi est,
desperet reditus ut sua Fata tui?
Quis scit, an infamis popularia signa grabati
dum premit, effossam non prior intret humum.
Adde, quod ambiguo dubium magis eximat ævo,
grande mei socium pignus amoris habes.
Hic meus, hic mœstæ tantum non unicus hæres
matris in ignotam te comitatur humum.

*

36 juvene Hs. 51 lies honoratas.

Quod si tanta forent vestræ discrimina vitæ,
missuri nostras non fueramus opes.
Tu curam comitantis habe. Tibi credimus illum.
Ite, pares tantas conficitote vias.
Si qua subest alias redeuntibus ire sub oras
vicinasque magis visere cura plagas,
omnis ad exactum via saltus habebitur orbem,
nomen et exigui vix meritura gradus.«
Hæc ais. Hæc dubiæ tenebrosa crepuscula mentis
discussere suo candida verba die,
qualis ubi roseo sol matutinus in auro
Eoo liquidum fundit ab orbe jubar,
nulla vaporosæ remanent vestigia divæ
et rubet in pleno lumine mane novum.
Ibo. Sed o superum non vilis amice deorum,
qui trahis ad fusas numina prona preces,
dum petis emisso fidus pater optima nato,
illius et socii tum memor esse velis!

Script. Hamburgi XXXIII. m. 8br.

11. Pro Amico Patrono, ad Patres conscriptos Academiæ Lipsiensis.

1633. Oct. — Nov.

Qua fruitur faustæ felici sortis amore,
qua fovet æternos posse valere dies,
hanc, proceres, vobis, Raleorius ille salutem,
ille scholæ vestræ pars quotacunque, vovet.
Ille procul patria, dulci procul ille liceo,
cernit in arctoo prospera fata solo.
Et quamvis meminisse queat, quid liquerit illuc,
quam bene sors niveis fluxerit alba rotis,
teterius tamen hic nihil evenisse fatetur,
quasque reliquit opes, hic quoque cernit opes.
Nostis adhuc (memores nec enim non esse potestis,)
quæ pia mutatæ caussa subinsit humi.
Plena peregrinas visendi copia terras,
quicquid et optati nominis æquor habet,

et decus et studium, cuivis laudabile docto,
quicquid et agnomen prosperitatis habet,
eduxere virum, charos sprevisse Penates,
dicereque: Indigenæ, paullo valete, Lares!
insuper interni per mutua crimina motus
quodque novum semper Mars ferus omen habet.
Adde, quod armato mors conjurata Gradivo
vastet inexplicita mœnia vestra lue.
Hic tutos mihi spero dies, hic faustius ævum
polliceor genio sustinuisse meo.
Allexit cupidam felix occasio mentem,
qua sine nil sapiens, quod bene cedat, agit.
Inter honoratos non ultimus audio patres
et parent magni, me monitore, viri.
Tempus adest. Dubium jamjam sulcabimus æquor,
ibimus in portus, inclyta Riga, tuos.
Russia nos capiet, capiet nos Persis opima,
meta viæ nobis Arctos et Ortus erit.
Quicquid ibi lepidum, præclarum, nobile, doctum,
quodque sua nobis utilitate placet,
tale notatrici mandabimus omne papyro.
Hinc memorem condet dextera gnava librum.
Si pietas nos ire jubet, si faustius omen,
quod pro Christicolis turba profecta sumus,
Jova secundantem prospiret cœlitus auram
et juvet optata posse redire via.
Temporis interea, varias dum versus in oras
dividor a vestro, nomina clara, choro,
este mei solitumque mihi servate favorem
et veterem nobis non removete locum.
Sic pia jurato servent vos fata favore
et fluat in vestras sors cupienda domos.
Deliciæ salvete meæ, Philyrea valete
pulpita, philosophi vivite fauste patres!

*

48 fausta Hs.

12. Propempticum Cl. Oleario scriptum.

1633. Oct. — Nov.

Dum pavet et certæ non est secura salutis
patria, nec miseræ, quod vereatur, abest,
sed sub vicino trepidat male credula Marte,
ah! nimis a fato credula facta suo,
jam, modo quas passa est clades per ferra, per ignes,
torribus et saxis tota sepulta gemit.
Divitiis gemit orba suis, gemit orba decoris
raptaque non una commoda parta die;
solvitur in lacrymas quisquis videt advena flentem.
Et magis hoc, quantum, quod timeatur, habet!
Tu decus Aonidum, patriæ solamen et ultor,
constituis charos deseruisse Lares.
Illa quidem prono tibi porrigit oscula vultu
teque putat madida flectere posse prece.
Et modo bis passæ tristissima fata ruinæ
oggerit et viduam se gemit esse nimis,
et modo, quod superest sævoque remansit ab hoste,
in gremium spondet deposuisse tuum.
Aurea non uno præstat tibi munera censu;
quoque magis moveat, nil nisi blanda refert.
Virgineum jubet ire decus, cui cuncta ligantur,
sed nec eras tali vir retrahendus ope.
Tu mœstæ sua vota negas. Tibi spernimur ultro
nec tua natalis sensa retardat humus.
Ergo sub extremas statuis secedere terras,
quas et opes Oriens et tenet Arctos, adis.
Hic tibi securam speras cum numine vitam
atque negata domi quæris amœna foris.
Eligis ignotas peregrinus abire per oras,
quam toties patriæ cernere fata tuæ.
Ito bonis avibus, melioribus atque redito.
Quique abeuntis erat, sit redeuntis amor.
Sed quoque sit patriæ melius, cui nempe sereni
temporis in reditu pars bona posta tuo est.

13. Ad Legatos Holsatiæ, quum Rigam Livonum appulissent.

1633. Nov. 22.

Quæ fuit irati sinuosa ferocia ponti,
quum fremerent sociis ventus et unda minis!
Unice millenis tum circumfusa periclis,
una sed et totidem navis habebat opes.
Vos viridis glaucæ vidit pater eminus undæ,
vos, o, queis niveos sors facit alba dies,
vidit, et »Hi, superi, nostris morientur in undis,
qui mihi venturæ caussa salutis erunt?
Non«: ait et valido ter aquas pulsasse tridente
fertur et effrenes increpuisse Notos.
Flamina serviles posuerunt ilicet Euri
et furor insanæ desiit omnis aquæ.
Vivimus et vestra salvi pietate fruemur.
Incolumem per vos se probat esse ratis.
Per terras, comites quid non speremus ituri?
Dant famulas vobis æquor et aura manus.

XXIII. Xbris. MDCXXXIII.

14. M. Adamo Oleario, Legationis Secretario V. CL. S. P. D.

1634. März 10.

Hactenus immeritas segnes negleximus artes
et procul a Clariis ivimus hostis aquis.
Spernimus et duro damnamus lumine Pymplam.
Nausea perjuris Aonis unda mera est.
Illud ego quondam sanctis adamabile Musis
nomen et intonsi cura secunda dei,
vix dominas jam nosco meas; vix noscor ab illis;
quod solet a nimia sæpe venire mora.
Ac, licet antiquus redeat sub pectora Phœbus
et fastiditi turba novena jugi,
non primi fervore sumus: tepet ignis amorum,
ceu tegit effœtum pigra favilla focum.

*

17 lies XXII. IXbris.

Non secus artificis post otia tetrica plectri
desuetum rudior psaltria tractat ebur.
Scribimus, at primo vix non arescimus actu,
non fluit ad calamos libera vena suos,
sic ubi muscosi cariosa foramina tubi
obstruit annosus consolidatque situs,
stillantes promuntur aquæ, rumpente canali,
guttatimque cadit, qui fuit ante latex.
Nos iter et duri fastidia tetrica tractus
distulerunt animo non renuente sequi,
donec ab infidis per tesqua Livonica Lettis
cepit in hospitium regia Narva suum.
Vidimus hic tentæ tranquilla per otia vitæ
Ivanogrodeæ nobile robur humi.
Mox, quoties placuit, mirantes inter ocellos
Labile præcipitis nos stitit agmen aquæ,
sique quid hic aliud nostris optabile terris,
quod stupet in longis hospes avarus agris.
Per juga, per saltus, nive tecta per Ingridos arva
venimus in gremium jam, Novogroda, tuum.
Hic ubi transmissis se Volgova corniger undis
in Ladogæum volvit agitque sinum,
stamus et ingratis suscepti civibus ægri
poscimus hei! surdos, agmen herile, deos.
Claudimur et vetita liber non exitus urbe
nec datur in patula, qua libet, ire via.
Suspecti sine fraude sumus. Gens libera servit.
Sic dominos famulis succubuisse scias.
Publica clamosis jaciunt convicia labris.
Durior hospitibus non locus esse potest.
Tu memor optantum, si quid prodesse laboras,
urge viam rupta continuare mora.
Jam vocat hyberni facies aptissima cœli,
vix melius vestrum tempus anhelat iter.
Quod si forte meis aliquid damnabile votis
accidat et sequior vos vetet ire deus,
quam miser et vultu par, sors quos damnat, eodem,
perdidero vitæ tempora fluxa meæ!

Nos corpus sine mente sumus, sine remige cymba,
nostra viget vestra tota salute salus.

X. Mart. MDCXXXIV.
Novogardia Narvam.

15. Garlefum Luders S. salvere jubet.

1634. März 17.

I, liber, et dominam volucri pete remige Moscham,
dum sinit optatum fluxile frigus iter.
Vix hic fallacem sorbillat ab ore liquorem,
quem allevere rudis rustica labra proci,
mox clamat: »Mea vita, meum mihi cor rapuisti!
Hoc tua nempe valent roscida basiola!«
Fallitur et fallit. Virguncula, credere noli.
Et iecur et cordis omne, quod ante, tenet,
omne sibi omnis amans vult credi. Scilicet hoc est,
si vis mendaci credere, crede proco.
Verba ministrat Amor volitantia. Luditur ille
et ludit ficto fictus honore deus.
Mirum, basiolis si perdi corda putantur:
aspectu rapuit mi mea vita meum.
Jam sine me, sine corde meo, sine sensibus erro.
Personæ veteris mobile schema vagor.
Quod si forte meis sua suavior oribus ora,
sensa mihi, mihi cor, me redeunte, redit.
Sic ego, sic cor, sic sensus unita manemus,
unitus maneo donec ad ora deæ.
Quin unita tamen, quum vellor ab ore, manemus:
sic poteram domina totus abire mea.
Ast ubi me rursum fatalibus angit ocellis,
sensa mihi, mihi cor, me rapit atque mihi.
Denuo, me vacuus, me quæsito nec prius ad me,
ad dominæ labia quam redeo, redeo.

Quid blatiat væsanus amans? Non fallere quibo:
»Cor mihi furari suavia nulla queunt.«
Cor rapiunt oculi, non suavia. Credite mecum,
corda oculi rapiunt, suavia restituunt.

Suavium XXIII.

Me redama, te primus amo: vel dilige saltem,
vel modo, si non vis, mi male velle cave.

Suavium XXIV.

Oscula rorifluis totum stillantia guttis,
delicies aliis, sed mihi sævitia,
quid fallendo nimis miserum cruciatis amantem,
sponsa negatura solvere suaviola?
Tuque dolorifico scindens me lingua susurro,
lingua medullitrahis viscida glutinibus,
quid differs, quod voce dabas, re tradere firma?
Scilicet alterna dasque negasque fide?
Ergo negare dare est? Date sed modo, quod negitatis,
et negitate iterum, mi quod abunde datis.
Hoc dare sit negitare modo. Contentus abibo:
quod mihi sat faciet, istud et illud erit.

Suavium XXV.

Rubella, qua pol! expolitius nihil
decentiusque sol vidit,
ut illa tracturit favere me tibi
nitoris elegantia,
inebriata tota gratiis meris,
placensque castimonia;
quod unicum magis magisque te probat.
Pudica pulcra fœmina
inusitato cernitur. Nec hæc quidem
in una millibus datur.

*

XXV. 4 nitores Dr.

Decore Cyprin, ore Palladem præis
Charinque moribus refers.
O alma, si daretur hæc licentia
serenitate cum tua,
ut illa, quæ subinde melle fascino
amor venenat oscula,
mihi integrum meo sit ore lambere,
et arbitratibus meis
modo liceret involare, ceu libet,
labella vestra cœlica,
nec ulla temporis severitas mali,
nec imber, æstus aut gelu,
nec expetenda nox amantibus, nec hoc
dies vetaret improbus,
gerensque bella lusitantibus labris,
gerensque bella dentibus,
nihil verente tale te, tuum sinum
protervus inderem manu,
lubentiisque volverem meis eas
sororculas papillulas.
Sed, o pudica, quid rubes? Quid et feris?
Quid, o Rubella, diffugis?
Mane, mane: pudere vocis hinc subit,
amor quod extudit mihi.

Suavium XXVI.

Quid me transversis stimulas tam crebriter hirquis,
o nimis elato diva supercilio?
Quid, quoties conor propius te cernere, dura,
me male disposito pollice retro fugas?
Ah! mihi quando favent, si sunt cita fulgura ocelli,
iratos esse fulmina nonne putas?
Et si, quum tecum licet esse, animam traho vix vix,
non metuis meme te sine posse mori?

*

28 manum Dr. XXVI. 1 crebiter Dr.

Suavium XXVII.

Ut meos vestris oculos ocellis
blanditer pascam, mea lux, adesto,
nec tuum plures aditum proterva
differ in horas.
Volvitur tempus dubio rotatu
cumque nos illo. Rigidus dietim
turbo grandescit, tenuis minatur
rumpere nervus.
Prata gemmatis viduantur herbis.
Quæque matura segetes arista
dulce ridebant, vacuæ queruntur
nupera damna.
Jam vibrant ægros syluæ capillos.
Mox senex flocco rigidus gelato
obruet terras. Morietur omnis
frugifer annus.
Et gravis lentas hyemes senectæ
et malos formæ patieris annos,
ora flaccescent, oculi rubebunt:
tota senebis.
Dum vegent vires, salit et mamilla
læva, vivamus, mea vita, junctim
postque, sed sero, moriamur una
et tumulemur.

Suavium XXVIII.

Ex Germanico Opitii.

Ad patriam Rubellæ.

O locus, o fluviis gelidoque tenerrime fonte,
quo se lætificum contulit omne decus,
quo cunctæ stabulantur opes, quo dulcia quæque,
quæ Phaëthon umquam despicit esse bona,
o urbs, deliciosa domus reginaque murum,
imperio præstans divitiisque potens,

*

11 quæruntur Dr. 19 flaccessent Dr.

sed mage, quod nostri genuisti cordis asylum,
cui gazæ nequeunt æquivalere Ditis.
Patria progeniei ignoscite mœnia vestræ,
verna mihi post heic civis habere lubet.
Heic mihi post placet esse domi, cor huc animumque huc,
huc solum posui resque fidesque meas.
Quod licet haut nullis angar sub pectore curis,
te mihi tam carum deseruisse Larem,
præ tamen illa ipsam potius te linquere malo;
patria namque mea est, quo mea vita domi est.

Suavium XXIX.

Quid fugis ah! semper, væsana Rubella, sequentem,
quem tamen haut potis es corde fugare tuo?
Illatebravit Amor nostrum cor fibritus illuc.
Sic capis in media, quem fugis ipse, fuga.
Siste fugam. Fugis ipse, fugis quem, pectore tecum.
Sed fuge. Te fugere, dum scio, nulla potes.

Suavium XXX.

Amoris impatientia.

O Amor! O glacialis Amor! O lubrica fata!
O nimium fallax virgine nixa fides!
Quæ mea tam blandis allexit pectora viscis,
mi male diflexo pollice dixit: Abi!
Ah! merui talem, perjura Rubella, repulsam?
Sic licet in fidum sævius ire caput?
Quid crucior? Moriar! Certam duplicat mora mortem.
Chara venit misero gratia, posse mori.
In lacrymas frustra, torrentior amne, resolvor.
Submergar lacrymis protinus ipse meis.
Quid juvat infidis suspiria credere ventis?
Fluxilis ah! animam ventilet aura meam.
Mille modis morior. Tamen haut exstinguor in illis.
Sic spissa lentas transeo morte neces.
At dea, qua sine nec morior, nec vivere possum,
redde mihi vitæ libera iura meæ.

Aut mecum morere, aut crudelem dejice mentem.
Vivere si sine te debeo, malo mori.

Suavium XXXI.

Rubella, pulcritudinis coagulum universæ,
referta pixis enthei fragrantia pudoris,
madulsa nectaris meri, nitoris officina,
medulla castimoniæ, placentiæ specillum,
amussis Aphrodysiæ, Cupidinum theatrum,
cor omnis elegantiæ jecurque Gratiarum:
tibi Juventa virgines per ora pingit annos,
ut, educata vernulo Favonii tepore,
nivale simplici caput rubore temperatum
rosa explicat; velut puti favoris illecebra
serena bellis igneo superbit in corymbo:
labella sic corallino cruore vulnerata
genæque discoloribus repurpurant capillis.
O ampla gaza prodigi faventiis Olympi,
Rubella, quo tuo rapis nitore sideratum?
Inebriatus evolo tuæ madore laudis,
ut impedita crapula gravi parens Amorum
remissa crura vix trahens, labella semipansa
repente cum natatili sono sopore linquit.

Suavium XXXII.

De serto Rubellæ.

Ex Sarbievio.

Ipsa corona rosa est Chariti? Charis anne coronæ
ipsa rosa est? Charis est ipsa corona rosæ.

Suavium XXXIII.

Rubellæ capilli.

Viderat ut dominæ zephyros in crine jocantes,
confusisque auram luxuriare comis,
quale tremit pinus summis agitata capillis,
quale seges lubricis nictat etesiolis:

travolat et nitidam vellens ait Ida capronam:
Comptior hæc poterat, pulcrior esse nequit.

Suavium XXXIV.

In eosdem.

Aureoli radii, rutilos quos dædalus ignes
spargere de fulvo vertice iussit Amor,
qualiter ostrinis gemmans Tithonia malis
fulgurat Eoo gurgite mane novum:
vos maturato semper flavetis amictu.
Heic calet æstates bruma medimna meras.
Scilicet ut patulos non noto semine campos
Cypria virginei severat occipitis,
»Crescite perque annum bene maturescite totum,
vos decor æternus concomitetur« ait.
Dixerat et tepidas halabat ab oribus auras,
qualiter a zephyris mollibus aura tremit.
Has puer in vitreas mirans concrescere guttas,
gemmatum dominæ dum videt esse caput,
aurea cum claro solvebat labra cachinno:
O dea, splendidulæ fructus hic esto comæ.
Hos procus uvidulo dominæ de vertice lingit,
cum premit irriguis suavia sera comis.
Lucidulæ, rores mihi non negitate potentes.
Quod vestros ignes temperat, humor habet.

Suavium XXXV.

Lux tua purpureus color obsidet ora genasque,
ille sed est gelidi sontica caussa mei.

Suavium XXXVI.

Oculi Rubellæ.

Mortale sidus, terreum duplex astrum,
flammivolæ faculæ,
gemella cristalli vitra,
sororium par lucis, aurei frontis
marmoreæ vigiles;

si vera promulgat medens
obtutuique judici fides credit,
discolor estis aqua,
princeps voluta lucidis
tot lymfa valvis, efficax fluor, puras
transradians tunicas.
Sed quas flagrare tum Pharos,
quos cerno scintillare flammeos ignes,
vos ubi contuitu
tenace lustro, pupulæ?
Salvete, versæ gens amica naturæ,
quoi elementa perempto
hostes amicat jurgio.

Suavium XXXVII.

Diva tace, seu docta fides percurris eburnas,
seu canis arguto gutture, diva, tace.
Plus tua me magico corrumpit gutture lingua,
excantant animum fascina verba meum.
Quis putet? in blandis acor est concentibus æger.
Sic aloa miscet sacchara scævus Amor.
Desine, dilanior cruciabilitatibus atris.
Hæc mela sunt animæ carnificina meæ.
Interea fuscum singultans carmen hiulco
et bibulis lacrymis ora genasque rigo.
O ego si lacrymis te sic movisse valerem,
ceu per me modulos conficis, Ida, tuos!

Suavium XXXVIII.

Lux, ebur Attalicum vincunt tua colla nitorem;
pectora sunt Scythica candidiora nive.
Scilicet illa tuis respondent omina sensis;
durior ah! ebore es frigidiorque nive.

Suavium XXXIX.

O animæ anima mera meæ,
cui valeo bene, cui male pereo,

es ubi bona, bene mihi fit;
ubi mala, male gemo, misere crucior.
Gemina gena, gemini oculi,
labiola gemina, gemina brachiola,
gemina nitidivida manus,
niveola, rigidula, lepiditumida,
gravidula gemina papula,
duplicia mihi mala, bona duplicia,
prout ea bona malave sunt,
ubi vagor, ubi lateo, ubi edo, ubi bibo,
ubi lacrymor, ubi taceo,
ubi cubitum eo, ubi revigilo, pariunt.

Suavium XL.

Ecquid mendaci, refracto schemate, vitro
credis, in adspectus officiosa tuos?
Si tibi non tanti est fallaci fidere formæ,
Pancharis, his oculis te speculare meis.

Suavium XLI.

Qualis, cum medios emensus Cynthius orbes,
subterjacentes despicit
marmor et, et terras volucremque citatior urget
loris quadrigam flammeis
et radios contra refractos sævior igneam
polo meridiem jacit,
virgo minora furenti opponens lumina Phœbo
audaci lustrat pupula,
degener in liquidas oculus fluit undique ripas
hirquique lacrymis pluunt:
sic tua vicino cum lumina contuor ausu,
ab efficacibus rogis
obtenebror validoque oculis excitus ab igne
amarus emanat latex.

*

XLI. 8 audace Dr.

O mea quam largis distinguitis imbribus ora,
crudæ doloris filiæ!
Stringite proh! flammas, lacrymæ; lacrymasve potenter,
o flamma fortis, ebibe!

Suavium XLII.

Frigeo, sudo simul; gemo, rideo; concido, substo;
langueo, convaleo; somnio, sterto vigil;
demorior, redeo; jugi vertigine gyror.
Autor tam varii turbinis una Charis.

Suavium XLIII.

Marspiter omni
sævit in orbe;
sævit in orbe
Cypripor omni.
Ille sarissis,
iste sagittis,
fulminis ambo
igne potentes,
ille tonitru,
hic oculorum.
Fare, Rubella,
cui damus horum
nomina nostra?
Usque triumfat
vulnere crudus
ille mucronis;
hic labiorum
vulnere mitis
usque triumfat.
Fare, Rubella,
cui damus horum
nomina nostra?
Trux scatet atra
morte Gradivus:

*

XLI. 17 Stringuite Dr.

sorte Cupido
dux fluit ampla.
Mors ibi certa,
heic mera vita.
Fare, Rubella,
cui damus horum
nomina nostra?
Anne Gradivo?
Fare, Rubella!

Suavium XLIV.

Merace jambe, cæcubis meracior meracis
nitente delicatior cuniculi cucullo,
glabri fluente lævior cuticula sciuri
et anseris tenellula venustior medulla,
genii madulsa Douzici, madulsa Barthiani
amorque primus Heinsiæ Venusque prima laudis,
cui per impares gradus Cupidines jocosi
lenesque Gratiæ exprobrant pedesque claudicantis
favis pluunt Hymettiis et Evii saliva,
iambe pure, purimis super nivemque claris
venustulæ manusculis adæmulus puellæ
beryllinisque concolor labelluli Rubellæ,
adesto, solitudinis levamen hujus unum,
videre dum meam diu nimis vetor salutem.
Abi meamque millibus salutibus salutem
revise; sive patrios thymum legat per hortos
domive pingat aureas acu valente telas
vel involuta fessulos toro reclinet artus,
peculiare suaviter meridians grabato.
Abi redique millies, sublatus et revectus
volucribus jocantium rotis etesiarum.

Suavium XLV.

Nexuit hos mea lux crinali vimine cirros
incinxitque meis crinibus ipsa suos.

*

XLIV. 3 scicuri Dr. XLV. 1 scirrhos Dr.

Scilicet augusto non deficit omine factum:
sic ero captivus illius, illa mei.

Suavium XLVI.

Jamque sat, puto, sat suaviatum est.
Et quid suavia, quid juvant amantes,
sola suavia, suavia æviterna?
Aut quid sunt ea suavia æviterna?
Dapes Tantaleæ Midæque gazæ,
quæ lentas modo commovent salivas
nec pacant animum nec œsophagum.
Sic sunt suavia, si negatur illud,
præ quo suavia suavia haut vocanda,
præ quo non mage suavitas suavis.
Hæc præludia sunt suavitatum,
quas præ suaviolis amant puellæ,
quas præ suaviolis petunt puelli.
Biga vinula, melliplena biga,
vos non degener ille, cœcus ille
sauciavit Amor, nec indecenti
Cypris proseda vulneravit ictu.
Non fraus callida, non libido spurca,
quæ mentes furians levis juventæ,
cogit tramite deviare justo,
sed mens ingenui tenax pudoris
et parere Dei parata pacto.
Jamque, sponse novelle, ter venuste,
jam cuncti tibi dii favent deæque,
jam licet, licuit quod ante numquam.
Jamque, sponsa novella, ter venusta,
et cuncti tibi dii favent deæque
et tibi, licuit quod ante numquam,
jam licet, magis atque post licebit,
quod tuto teneris licet maritis,
quod sibi juvenes, quod et puellæ
noctes atque dies imaginantur;

*

31 quot Dr.

quod vix vix jocoserii Phaleuci
audebunt poteruntve vulgitare,
istud nempe, quod ex procis maritos
liberisque novos facit parentes.
Ite vinula biga, biga casta,
parentum decus et decus nepotum,
o vestræ nihil, o deeste parti,
nec vos fallere spes decet nepotum,
nec tot vota patrumque patriæque.
Ille suavia, suavia illa casta,
tot suspiria pura gaudiorum
et fervens genialis ille lecti
omni crimine liber appetitus
vobis pignora patriæque cives
non vano meditantur auguratu.

Dithyrambus in pompa nuptiali.

Nunc juvet, Thaleia, docto
otiemur in recessu,
qua per arva, qua per hortos
garriens anfractuosis
Plissa naufragatur undis,
qua Roseta perlabascit amne puro Lipsica.
Huc veni nutante festam
impedita fronde frontem.
Cinge zonam, sume soccum
atque tota nuptiales
imitata veste pompas
enite conchyliatis undiquaque supparis.
Linque Pymplam, linque Phœbum,
mitte bis quater sorores.
Parce, virgo, Flacciana
temperare lege chordas.
Pendeant ad tempus unco
curiosa diligentis plectra Sarbievii.
Blandiora delicati
sistra nos decent Catulli.
Sponte fusos, arte nulla

dithyrambus optat hymnos,
cuius argutum canora
voce saltum, prata cuius ore personabimus.
Ergo dum decliviori
libra pendit lance solem,
dum novercalis Novembreis
scorpius remordet horas,
dum sagittator, senentis
canus imperator anni, lora frænat tempori,
insolenter aura verno
spirat auctumnalis ore.
Lene confusi Britannis
tortiles Apeliotis
stridulis illimis æthræ
eremigant alis apertas tramites Favonii.
Ut tepentis aura Maji
cespitantes crispat undas,
sic maritandis Elyster,
obvius Plissæ fluentis,
ore corrivatur udo
mille gerris, mille mansis colloquens singultibus.
Vitreum cacuminosa
verrit alnus fronde cœlum.
Ornus ornum complicatis
osculatur in racemis.
Omnis arbor, tota silva
inquieta tertiatis nupturit suspiriis.
Lubricum reverberatus
cespitem cespes flagellat.
Saltus omnis, cuncta rura
tinnulis etesiarum
perstrepunt late cachinnis.
Tota nil Novembre spirat universi machina.
Ille fortis, æquus ille
fulminantis prætor aulæ,
arbiter deus deorum,
ille suavis, ille blandus
pusionum dux Amorum,

ille nanorum pusillus signifer Cupidinum,
qua sepultas Indiano
ponit unione plantas,
ilicet venustat omnem
viva Chloris officinam,
ilicet tellure rumpit
mille culmis, mille bulbis, mille Flora floribus.
Hinc amasius pudentes
albicat narcissus inter
anemonas, inde fulvo
fulgurat crocus galero,
inde calthæ nupta bellis,
inde ridet omne pictis purpurans tapetiis.
Ipse totus invidendo
sericatus ardet ostro,
totus adspici serenus,
dum rubro prognata cono
crista surgit, dum jubarum
margines tumultuosis ventilantur Africis.
Nunc jocatur, nunc cachinnat.
Nunc proterva gestientem
calce lætus tundit oram.
Nunc volucres sponte flexa
cuspides serit cateja,
vulnerans resibilantem clara gesis ætheram.
Pone pumilum novellas
ludit inter agmen herbas;
ipsa pone fusa circum
mille turmis gaudiorum,
ludiorum mille castris,
alites adurget albas tot parens infantium.
Sponse, prodi, belle sponse,
quo verecundæ sorores
doctius nil arbitrantur;
sponsa, prodi, bella sponsa,
una rari norma pulcri,

*

68 niter Dr. 80 poterva Dr. 87 ludis Dr.

ipsa qua nihil venustas prædicat venustius.
Cernuus vobis vegentem
annus induit juventam.
Illa vobis spirat aura.
Ille canas congelatis
mystacas vobis pruinæ
Eurus abradit resumpta veris almi forpice.
Floricondas fauce picta
Æolus ructat pruinas.
Alba canentis ligustra
depluunt ab ore Cauri;
ocimisque pro procella
proque nimbo rorulentis ningit Auster liliis.
Ite, qua jucunda pulcher
castra metatur Cupido,
militat qua pumilorum
imperatrix filiorum;
ite, qua superba vestræ
consecrata dignitati dismicant tentoria.
Quam supina copulandis
calce fluctuant Amores,
ut rubentes fronte prona
excipit Diona sponsos,
ut volentes arte nota
federans dextras mariti jura cedit ordinis!
Sudus acta ludibundæ
vultus approbavit æthræ.
Rore pota, rore cœli,
stridulo fritinnit ore
lubricum cicada carmen.
Dii per arva, dii per auras grex hiulcat alitum.
Currit applausum natatrix
amne collisu petrarum
Nais eloquentiore.
Gaudiorum, ludiorum,
pusionum vulgus omne

*

131 pufionum Dr.

mutuis aggratulantur basiationibus.
Filias Empanda dives
messis hornæ fert placentas,
expedit Pomona fruges.
Euchyus subpurpurantes
dividit maturus uvas.
Qua videtis, stat referto plena cornu Copia.
It jocantis aura venti
per vireta, per roseta
atque lascivo remordet
supplicantes ore flores.
Quaque panditur cubile,
spargit omne santolina, spargit omne tulipis.
Jamque sat diu morantem
pellit hesperugo solem.
Fessulæ fuscantur auræ.
Candidata noctilucum
ordinat regina vulgus.
Prona scintillat serenis nox ubique crinibus.
Susatensis sidus oræ,
magne Galeni nepotum;
Lipsiæ corona pubis,
strenui propago Baldi:
par pudicum, par venustum,
par, quod æquales maritant jugiter lubentiæ,
itis et vobis dicatam
occupatis ambo noctem.
Interim, quod expedibit
atque vobis atque vestris,
quod negatis atque vultis,
siderale, sed latenter, temperat synedrium.

*

134 fort Dr. 136 frugas Dr. 158 ocupatis Dr.

SYLVARUM

LIBER IX,

IN QUO

MISCELLANEA.

Clarissimo Viro Henrico Arningo Rhetori Et Doctori Classico, Intimæ Admissionis Amico, Pro Mei Absentis Amore Ubivis Et Semper Exhibendo Veteri Votorum Forma L. M. Q. Inscribo Paulus Flemingus Hartensteinius.

MISCELLANEA.

1. Aræ Schönburgicæ exstructæ a Paulo Fläming, Harttenstein. MDCXXX.

1. Ad Charitas.

Quis dabit tristi mihi, triste damnum
funeris flenti properi, melisma
triste, quis carmen dabit in canentis
flebile guttur?
Nympha, non turpi generata volgo,
nympha, baronis Jove rapti Hugonis
nata Schönburgi, viduata vivæ
protinus auræ est.
Ibis ad primos properans Eoos,
ibis ad seros (lubet hoc?) Britannos,
hoic parem doteis superas puellam
non reperibis.
Hanc venustabat facilis Venustas,
hoic bonæ moltum Veneres favebant,
hojus e voltu nitido Cupido
crebrior igneis
flabat accensos, nec eos inaneis.
Sensit hos Schönburgiacæ nitela
Janus-Henricus radiosa gentis,
sensit amicas,
sensit, at sensit! faculas Amoris.
Jam nil heroi superest dolenti,
quam ut suæ tristis gelidos amicæ
cludat ocellos.

UNIV. OF MICH. ... Commercial Microform 19..

Ergo si vobis Venus et Venustas
usque sunt cordi, caput atque charum
pœnitet vos et lacrumæ vocantis
si qua potessunt,
huc, rogo, trinæ Charites, venite,
lachrymis nostris sociæ venite
vosque nostris induitote threnis
numine prompto.

2. Sponsus ad Sponsam.

Animula mea nitidivida, rosida, tenerula
animitraha mea, Venere nitidior,
fugis? abis? ah! ah! penetrijecora fuga tua, tuus
mihi cerebrimovus abitus obitus est.
Tumuli socius ego tuus ero, mea, mea quæ eras
cito thalami socia. Lacrumor! abeo!

3. Idem ad Hyemem.

Dive fræniger, horride
fræniger, pelagifreme,
asperis Aquilonibus
vecte, torvituens bruma,
quoi liquor niveus paret,
quæ gelu tremulum paris,
quæ fluenta nivipluo
spiritu glaciabas,
seu plagis borealibus,
sive Sarmaticis jugis
hac ruis, dubiæ comas
arbori tremulanteis
sternis: ad tua numina
omne terrirepum genus
contremiscit; ad hæc stupet
latipectora tellus.
Ver venit, fugiens fugis.
Heus! senex male, quid mihi

ver meum rapis? Ah! mihi
ver meum, rogo, redde!

4. Ad Parcas Sponsus.

Quom mea vita gravi macerata dolore medullis
languesceret sub intimis, vix et polum
iturientem animam jamjam moritura trahebat,
nec fungeretur lingua muneris sui;
quam poteram, calide flens plurima, suspirabam:
O Parcæ, amasiæ meæ compercite!
Nulla sed adjutum veniebat Parca; Maria
efflabat ægrum Juliana spiritum.
Tale videns a me externabar et exclamabam
iratus atque tristis hunc vocis sonum:
Parca mihi quoque nulla mihi, volo, parce, sed auffer
hoc quicquid est languentis in me spiritus.
Quid facitis, Parcæ fatuæ, quom parcere justum est,
non parcitis; sed parcitis, quom non placet?

5. Ad Mortam.

Dementis anne Morta? Morta dementis?
Vel cæcutis turpata visum amaurose?
Turpeis vetellas, fas erat, podagrosas,
cachecticas, pleuriticas, veternosas,
edentulas, bronchasque gramiosasque
attasque rugosasque lusciosasque
et luridas tabo vel incita turpeis,
queis invocare millies diu, noctu,
ad quas tamen nec advocatus adcedis,
te persequi bidente, fas erat, dico.
Econtra sed puellulis, sacris Idæ
puellulis, rosillulis, papillatis,
lascivientibus, protervolis, aptis
dissuaviationibus, toris aptis,
amasiis, amasiis venustillis,
quid indulgere fas erat juventutis

te longioris. Ast, maligna, denormas
æqui refractor ordinisque normæque.
Quid judici de te feram, sat haud novi,
dementiasne, Morta, numve cæcultes.

6. Ad Auroram sponsus.

Matuta mater, aureum poli decus rubentis,
pertæsa quæ refulgido tui senis cubili
exis, tuos et millibus per ætheram capillos
anfractibus spargis levem tuisque purpurillis
ocellulis, puellulæ labellulis colore
simillimis venustulæ, fastu superbis alto,
frustra venis: Thaumantidem numquam meam videbis.

7. Idem ad Solem.

Sol, clara mundi, clara celsi fax poli,
decursitator cœruli cœli celer,
auriga lucis, imperator temporum,
qui mane summo tincta multo tempora
auro protendis e salo et tuo essedo
subvectus aurigas per æthræ semitas,
adusque cœli concavi cacumina
rursusque mergis fessulos aquis equos,
cras, cras redibis: at meus sol non item.

8. Ad Lunam.

Roscidæ regina noctis,
quam mutuata, non tua, non propria
luce lustras, Noctiluca,
perennidiva; tu satellitum vaga
saltitantium chorea
stipata latus molle surrigis caput,
flebili et per omne cantu
stans triste cœli compitum spargis jubar.

Quale nec fuisse credam,
imaginosa quom suom Thisbe jecur
ense perculit jacente.
Tu rore lacrumas novo prodis tuas.
Pallor ora, pallor omne
corpus colorat. Quære, quære; non tui
invenibis usque caussam
palloris: auffugit: manebis pallida.

9. Sponsus ad Venerem.

Noctinuncia vesperugo, puro
longe splendidior, Cytheris, auro,
cunctis lucidior Cypris smaragdis,
omnibus radiantior beryllis
et cunctis rutilantior pyropis;
tu levi peragrans cavata planta
per cacumina, singulis soporeis
suades molligrados sub axe vivis.
Squamosum pecus a vagatione,
accubans scopulis, suave dormit.
Tu, tu plumipedeis vagæ phalangeis
turbæ, carmine fessulas diurno,
tu, tu sylvivagos tenebricosis
hinnulos reficis favens sub antris.
Te grandæva parens comas rubente,
rutris saucia, scissa, fissa, fossa,
ab ama fodicante feriatur.
Te sudorifluus vocat colonus
et quæ perdia rusticella rurat:
Audi, mater amata, mater, audi!
Deleri pateris tuum nitorem
et cum lumine numen impediri?
Quis reddet tibi Juliam Mariam,
a qua ceu radiantior nitebas,
ejus et propriam facem ex ocellis
augebas? Age, diva, diva mater,
fac, quod optat amore mens flagrante

saucia, ebria. Quam micare terra
hactenus Venerem meam stupebam,
cras mirer rutilo nitere cœlo.
Ejus conduplicata luce fulge.
Sic tuam mage sic facem juvabis:
sic meam mage sic crucem levabis.

10. Ad Violas.

Rumificanda soli
vos decora, vos recentis
veris recentes, bellulæ, venustulæ
filiolæ, violæ,
mane summo, mane primo,
quom nigricantis Phosphorus crepuscula
noctis abire facit
et colore purpurissat
matuta russo pervii valvas poli,
vos vigilatis item
ebriæque rorulento
hiascitis madore, noctis filio.
Quam toties toties
svavitate fascinantis
sueratis invitare odoris illice,
vos bona virgo fugit.
Hoc honoribus supremis
favete, tympo purpurate, currite.

11. Sponsus ad Aedones.

Levipes, aligerula cohors,
nemorivagula, varia loca peragrans,
agite, hilarisona melea
cito cito reprimite, rogo, reprimite.
Alia date melea, teneræ,
gemitipara date, date lachrymicia,
tremula date, date querula.
Abiit animula mea, abiit, abiit!

Avium agite alia genera,
fugite, refugite remigiolo agili.
Ruite, melea cineribus
canite, recinite melea, gelidulis,
melea pia, gemitipara,
melea querula, lacrymicia melea.

12. Lucus ad apiculas.

Rorilegæ Cereris puellæ,
stimuliferæ, aligerulæ,
quom caput Oceano rosidum vago
diva pudoricolor
extulit et radiispuis
aureus aurea Cynthius equis
lora adaptat,
vos suscitatæ lumine roscido
adusque moltum stertere nesciæ
solem, surgitis eque succiplenis
mellificinis
proditis. Aut Trinacris ad cacumina
violicoma, thymogerula, rosifera
Hyblæ vel ad Cecropii
juga viridia, nitidula juga
volitatis Hymetti,
e patulis alabastris,
rore tinctis, rore cœli,
suave nectar sugitis.
Imprægnatæ tali succo,
succo, suaviore vino,
halantiore nardo,
domicilia repetitis agiles
et dolcem evomitis citæ madorem
atque iterumque iterumque iterumque iterumque volate
totiesque revortimini celeres
turgidulæ, ebriolæ, gravidulæ.

*

26 revortimi Dr.

Mellisugulæ volucres,
vestras figite mellis officinas
vestras ponite nectaris favissas
hoc ad Mariæ Juliæ marmor,
nidificate,
mellificate,
et si quis est virorum,
si quæ vel est virarum,
qui lacrumetur ultro,
quæ lacrumetur ultro
Juliæ Mariæ
exuvias miseras, gelidulas,
hoic largipromæ nectar istud,
nectar istud invidendæ
dolcedinis donate.

13. Ad Zephyros sponsus.

Satellites seri tenelli vesperi,
molliculi zephyri, zephyri levicelli,
qui termino blandimini mitissimum
solis ab hesperio, per et omne susurro
eremigatis vernulo terræ solum;
vos pavidos piceæ tremulo pede crineis
cacuminosæ tunditis vel roboris;
vos trepidis trepidantia mille fluenta
anfractibus distingvitis. Vos obsecro,
Æoliæ soboles: violas, saturejas,
thymos, lavendulas, orvalas, tulipas,
ocima, lilia, purpureos amaranthos
spirate floridis citati e faucibus
atque meam rosulis rosulam tumulate.

14. Idem ad Charontem.

Septemplicis lavarcha lintris squalide,
laboriose manium

*

36 lacrumentur Dr. 39 exsuvias Dr.

vector lacus paventium fluctus Stygii
abominabileis, Charon,
audi: sacri post pauculos manes dies,
(nam sunt profecti pridie)
manes puellulæ volentes travehi,
te convenibunt heic, Stygem;
rogo, petituris sis exorabilis
eosque præfer cœteris
cymbamque solve. Dira sed celeusmata
ructes, cave, ne Cerberi
trifaucis ad frendicrepum tremant sonum
nec ad tribunal Aeaci.
Præter-que-vecti fumidam Proserpinæ
Plutonis atque regiam,
immunibus concede piscatoribus,
hos qui beatos ad Lareis
citi vehant. Hunc interim naulum tibi
victoriatum sumite.

15. Alloquutio.

Viraginum virago virginissima,
Maria Juliana, quoi vitam tuam,
cuojus exitus, exitus querendus
desideria jam tui relinquit,
putabimus parem, parem censebimus?
Heus! sic puella, vita sic erat tua,
ceu stella, ante diem nitore priva;
pulvis, qui furiente surgit austro;
ventus suavibus tepens odoribus;
suspirium sub corde pressum nobili;
Eos, nuncia Cynthii, bihoris;
nox, quæ jam venit, at cito recedit;
nix, quæ soluta sole verno non stetit;
vox clara, presso tertiata gutture;
flos, stans stante, cadente sole marcens;
frons solo data sæviente Cauro;
Iris, nitore dives et coloribus;

cum somnium somno inchoans et desinens;
cataclysmus adhuc pluente nube;
vitrum fragile, non redintegrandum;
fulgetrum ab occidente pellucens polum;
testæ gelu concretæ ad Æthontis jubar;
questus, qui, quod habet, nequit tenere;
risus carnifici dolore clusus;
ros mane lacrumatus, ad solem cedens;
dies quidem serena, sed nimis fugax;
nubes sole fugata, sole claro;
umbra corpore facta, dempta eodem;
fumus Noto confusus ingruo levis;
echo, sequens vocem vocantis, post nihil.
Vita sic tua, quæ cito recessit,
erat nil, nisi stella, pulvis, aura,
suspirium, matuta, nox, nix, vox, rosa,
frons, zona, somnium, cataclismus, vitrum,
fulgetrum, glacies, querela, risus,
ros, dies, nebula, umbra, fumus, echo.

16. Deutsche Elegie.

17. Deutsches Epigramma.

18. Der klagende Bräutigam.

19. Epicedium.

Julia num jacet heic, quæris, Maria? Haud jacet. Hoc est:
tellus tellurem, terrea terra premit.
Exuvias modo tymbus habet, exscendere docta
mens super ætherios se penetravit agros.
Transdere colla jugo cuncti necis usque tenemur.
Mens modo cum tumulo non tumulata fuat.

*

19. 3 Exsuvias Dr.

20. Ad viatorem.

Heus! quisquis es, viator, hoc ne travia
marmor, siste pedem, rogare, siste.
Amas venustateis? Cupidineis amas?
Insculptæ lege litteræ tenorem,
Calles Latina, sive non, nihil refert:
puellum modo quære, quære vernam,
si non loquetur, lallet hoc: Hac sub scrobe
conduntur pietas, venus, lepores.

21. Posterit. Sacr. Diva Maria Juliana Domo Schœnburgica Virgo Virginissima Divi Hugonis a Schönburg, Et Catharinæ Comitiss. Wild. Et Rhenanæ Filia, Illius, Dum Viveret, Delicium, Hoius Jam Lacruma. Illustris Jan-Henrici, Baronis a Schönburg, Sponsa Desideratissima, Puellarum Decus, H. S. T. Tristi Fato Erepta Et Crudelissimis Pustulis Enecta Quom Vixisset Lustra Plus Quattuor.

O Matris Languor!
O Sponsi Angor!
O Fratrum Mœror!
O Sororum Dolor!

Tuum, Lector, Adde, Quisquis Schœnburgicos Amas,
Imo Quisquis Venereis Et Leporeis Amas, Quorum Ista Thesaurus Erat,
Abi, Floreis Sparge, Si non Lacrumas.

2. Jesu Christo S. Natalitium Paulli Flemingi.

1631. Febr. 1.

Virgineum partum, miri cunabula mira
infantis, mens plena Deo, mens ebria cœli
Ambrosia, festo pro tempore pangere suadet.
Hac etenim fini venistis, summe Themistis,
magnificos cui nostra tulit academia fasceis,
vos volo, Preibisi: fini venistis eadem,
Corvine, o nostri spectande decane lycei,
et vos, theologæ fulcimina firma cathedræ,

vosque, rubricarum, meditrinæ vosque camilli,
vosque, professores Clarii, vos atque magistri
eximii, vos et iuvenes, quos pulpita circum
ordine conspicio, bijugis spes optima mentis,
huc venistis enim cuncti, quo musica nostræ
aure perattenta biberetis plectra Thalejæ.
Sed lepidi nil, nil nitidi mea musa sonabit.
Ardua materies hæc est, quæ supprimit in se
sensa, ruinosum gracili quid nuncia tergo.
Hanc gravis omniscio moduletur Barthius ore,
hanc canat Heinsiades vel grandiloquus Barlæus.
Quos ego si meditor, rubeo, quod tantulus ausim
tanta vel his tantum summis audenda poetis.
Et parum abest, quin hinc abeam. Revocor tamen atque
erigor a vestris, o magni, voltibus omnis,
his dum tranquillas adhibetis vilibus aureis,
vilibus haut in se, sed vili scripta poeta.
Pergite. Sic deamet pulcher vos semper Apollo,
sic bene pacatum marmor mea prora secabit.
Et tu, nate Deo, placati pignus olympi,
federis arrha novi, lapsi miserate popelli,
pone jubar radiosque Dei. Da cernere voltum,
qualis erat, cum pusus eras. Si virginis alvi
non puduit te intrare sinus nascique bovili,
huc propera facilisque meis illabere votis.
Cernere te mihi da, magnam da tangere dextram
atque sacros palpare pedeis. Tibi supplico supplex
et parvo magnum sub corpore numen adoro.
Ecce tuis natalitiis operabimur horis
thure, mero vilique melo. Sis numine prompto
præsens et timidi firma conamina vatis.
Phatna mihi tua carmen erit. Tibi noster Apollo
incipiet clausoque idem tibi desinet ore.
Tempus erat, quo prima Deus promissa, suborsa
jam juvenescentis telluris utrique parenti
primævo paradeisiacis in vallibus acta,
semine de vetulæ tritore viraginis Hydræ
solvere debebat. Quod abinde abeuntibus annis

tot patriarcharum, tot reges totque prophetæ
in votis habuere suis, hoc atque videndi
languentes animis optare cupidine anhela.
Scilicet et primam Lucinam experta faventem
Heva, recens a voce Dei, cum conjuge lapso
exclamabat ovans: Dominique virique potimur!
Sed frustra. Trux fratris erat spretorque Jehovæ.
Mens erat Autori, tanta non secula prima
adfulsisse face, sponsam sed in ultima mundi
tempora decrepiti tamdem misisse salutem.
Jam pene exciderant hæc talia mentibus omnium,
nec Pharisæus enim (rigidi servator honesti
hic erat, inflatus fastu frontisque severæ,
quique Moysæas tunc temporis ore crepabat
legeis ventoso atque ampullabatur in illis,)
noverat hæc bruto rite exposuisse popello
aut poterat, nolebat iners. Vel verius hoc est,
scripta putabantur de Christo fabula naccæ.
Hæc erat in volgus cunctantis opinio Ihovæ,
sparsa, mora magis et crevit crescentibus annis.
Hoc tamen illorum perversas cogere menteis
cœpit, abhinc aliquid potuerunt credere fatis;
regna, potestates, sceptrum cum fascibus, omne
cesserat in veterum dominantia jura Quiritum.
Nil tribus imperii Judæ, nil juris habebat.
Urbs regnata diu tot regibus, aucta triumfis
tot, tot facta potens, servire ignara vetustis,
parebat Latio jam præsuli, ad omnia serva.
Hæc bene venturum norant sub tempora Christum.
Sed turmis regem mundanum armisque valentem,
qui spreto tritavi surgens de stemmate David
posset ab externis patrios reparare Penateis
gentibus et proprio tutari milite regnum,
hunc sibi sperabat plebs libertatis avitæ
plus studiosa, secuturæ quam provida vitæ.
Sed fallebatur proprio male credula turba
ingenio, secura Dei, secura pericli.
Pax erat in toto terrarum purima circo.

Nempe quadrifrontis tertjum jam Cæsar Iani
cluserat et posita muniverat objice templum.
Convenerabantur famulantia Cæsara regna
Augustum, parili vivebant federe gentes,
qua mare, qua terræ, qua sidus currit utrumque.
Cuncta feruntur amicitias contraria primo
tunc bene composita nexisse animalia lite.
Scilicet ipsa suum sibi gratabatur honorem
terra, quod exciperet mansuræ pacis asylum,
quando sub umbrosa, brumali tempore, nocte
mollia virginei transibat claustra pudoris
Pausius ille Deus, rex regum Christus Iesus.
Interea Bethlehemæus nil tale toparcha
somniat; urbs densis dormit convincta tenebris.
Nulla puerperii famulatur gnara Mariæ,
ipsa sibi obstetricabatur et ipsa tenellum
gestabat puerum, lactabat et ubere parvo.
Dumque alii plenis haurirent cœcuba guttis
et græcarentur laute in conclavibus amplis,
impia vix poterat stabulum concedere cascum
hospita parjenti Mariæ Mariæque marito.
Nec tamen in stabulum quæsitum venerat ollus:
Quæ mulier? quis partus ibi? quis parvolus infans?
ni puer ipse suum volgasset miriter ortum.
Mœnia circumeunt urbis confinia prata,
prata rigata sui fecundo flumine rivi,
grata suburbano pecori pecorumque magistris.
Heic, qua natus erat Salvator, noctis eodem
lanigerum pavere pecu pastoria turba,
acria fumanti pellentes frigora ligno.
Ecce! repentinam lux flammam larga vibrabat
cœlitus: ipsa dies poterat nox illa videri,
ut quando quassa flammantia fulgura nube
ejaculant plenos in terram largiter igneis.
Diffugere trepidæ pecudes, pallere coruscum
singulus ad lumen pastorum, singulus ima

*

96 Chrityus Dr.

exanimis petere, tremor hoc, timor illud habebat.
Semineceis adstans tamen erigit angelus atque
clara tuens et mite loquens sic ora resolvit:
Desine, turba, metus, modo desine, turba, tremoris,
maxima cantatum vobis ego gaudia veni,
gaudia terrigenum cunctæ gaudenda cohorti.
Scilicet hæc vestri nox est natalis, amici,
soteris, quem Jessæi celsissima vatis
regia nominitat Christum dominumque fatetur.
Ite modo Bethlehemæam, quam nostis, in urbem.
Dicto adhibete fidem. Vobis hoc sumite signi.
Invenietis ibi puerum puerique parenteis
in stabulo, (nanque hospitium conclave negabat,)
non pretiosa ligat divinum fascia natum,
horrida sunt illi nitidæ præsepia cunæ.
Ite volucripedes, nec enim sum vana loquutus.
Nec mora: finitis his talibus, angelus, ecce!
militia circum, mox cœlite-stipabatur,
suavisono liquidum findentibus aera cantu:
Jugis in excelso celso sit gloria IHOVÆ,
pax rediviva solo cunctæque volentia genti!
Hocque tribus vicibus repetens sacra turma melodum
omnis obumbratas mox evanebat in auras.
Vanuerat. Nox prima redit. Lux cesserat omnis.
Vix habuisse fidem poterat cors rustica factis.
Somnia num, num vera sient, sat nosse nequibat,
hocque magis, nam nullus erat, qui noverat hilum
historiæ de nascenda post æva salute.
Sinpula erat plebes, rerum nil talia curans,
nescia scripturæ, sapiens nil pascua præter.
Jamque reducebant dispersas undique luce
insolita pecudeis, rimantes visa subinde
atque audita sibi. Tamdem præstantior annis
unus et in reliquis primum quem fecerat ordo,
»Scilicet hoc«, inquit, »socii, disquirere nostrum est.
Quid dubitamus enim? Visu res clara patescet.
Ibimus et mirum contabimur undique partum.
Non iteris nos tantilli distædeat, urbs hæc

e regione jacet, quam mandabamur adire.
Ibimus.« Huic verbo parebat quislibet atque
vimineis pecudes consepti cortibus, uno
saltim pro vigili rellicto, protinus ibant.
Jamque citatigradi certatis cursibus almæ
mœnia Bethlemi poterant conclusa tueri.
Advolitant pultantque foreis vigilemque lacessunt.
Panduntur valvæ, mox irruit upilionum
omne simul volgus. Platea fit rumor in omni.
Discursabat enim plebs passim, prodiga vocis:
Rex ubi? Rex ubi jam natus? domus illan' an illa est,
conscia quæ tanti dubiis nos eximat ortus?
Rex ubi? Rex jam natus? locus illen' an ille est?
Omnis in urbs somnc cœcisque sepulta tenebris
evigilat strepitu, quem rustica turba movebat.
Interea tacito pastores numine ducti
introiere domum patulam patulumque bovile,
quo puer et pueri genitrix genitorque jacebant.
Non aderant cunæ, variis non picta figuris
stragula, non niveum remicante colore cadurcum.
Unica, nec sine scissuris, lodicula bellum
in se volvebat puerum. Præsepia cunas
Joseph adornabat, pauco turgentia cordo.
Musica turba boves ibi erant asinique rudentes.
Hæc ubi vidisset gens rustica, mirabatur
plurima, jam poterat cœlesti credere turmæ.
Cumque melos tenera varium lusisset avena,
ibat ovans animis ad pristina pascua lætis
proque novo Jovæ solvebat munere grateis.
Nox, qua terricolis felicior altera nulla
contigit hautque habitura parem est declivior ætas,
o salve, salve, nox luce clarior omni!
Nox sine nocte tamen, genuini proma nitoris,
te sine perpetuæ noctis nos umbra tegebat.
O salve, salve, nox luce clarior omni!

*

181 Josep Dr. 191 Non Dr.

Exuperat spes nostra modum; superata tenemus,
quæ sperasse nefas. Suspendite parta tropæa
victriceisque aquilas. Dominos nos fama loquatur.
Rupimus hoc noctis trucis ardua vincla colubri,
vincula non solvenda prius, jam rupimus illa.
Vicimus atque triumfatos jam ducimus hosteis
ante triumfanteis de nobis. Vicimus orcum.
Vicimus et veterem spoliis spoliavimus anguem.
Hæ vicere manus, dextra sed cœlite jutæ.
Libera turba sumus. Patriis jam reddimur oris
cognatoque polo, populari reddimur auræ.
Sic Pharios olim gens Josephæa Penateis
liquit et in media longævi nocte redibat
libera servitii, spolio nec inanis et auro,
ad proprias urbeis veterumque habitacula patrum.
Libera turba sumus, numero lux nostra reluxit.
Jam rumpunt nubes, justum jam depluit æthra.
Jamque salutipluo cœlorum rore madescit
terra Deusque merum destillat ab æthere Christum.
Justitiæ jam terra ferax, jam fertile pacis
germinat omne solum, jam secula vivimus aurea.
Terra coit cœlo: procus est telluris olympus.
Dis scatet omne solum. Superinduit ipse Creator
schema creaturæ, de nostra carne fibrisque
terrea participat miseroque simillima puso
est æquæva Dei suboles. Qui par venerando
majestate patri, nec ei deitate secundus,
jam fit matre minor, cunis et volvitur arctis.
Terrarum pelagique potens, antistes olympi,
cœli primus apex, secli melioris origo,
principii finisque carens, antiquior omni
tempore temporibus paret. Cœli anticipator
exsulat a patria. Non facti sermo parentis,
a genitore prius genitus, quam cœperat ævum,
nascitur et verum vero de lumine lumen
editur, omne Deo similis, Deus ipse coævus
cum Genitore Deo, tamen et sine semine semen
procedens muliebre viri, sine sanguine sanguen.

Univ. of Mich. ... Commercial Microfilm ...

Omne viro similis, nostri sed criminis exsors,
criminis ut genus omne fuget. Jam facta parentum
fatali meliorantur dispendia pomo.
Di sumus, haut homines, hæredes atque deorum
et superum cives, miseros dum vindicat orco
Emmanuel sontique parat vadimonia genti.
Ergo venis tamdem, mi mellitissime Jesu?
Ergo venis, telluris amans parensque parenti?
Sed quis in hæc scissis inamœna mapalia tectis,
ecquis in hoc stabulum, quis in hæc præsepia, belle
pusule, te cariosa tulit? quis carice dura
et strepera tenerum caput hoc tibi et hoc latus ulva
utrumque indupedit? quæ mollia transvia Cauro
et nive fascia membra ligat? quæ paupera sanctum
tegmina brumali defendunt frigore corpus?
Scilicet hoc valuit non vilis amatio nostri,
quod patrias arceis et vestri mœnia cœli
posthabuisse solo, magalibus hisque volebas.
Dignus eras, quem rumificent Babylonia civem
rostra suum, quem clara suum Roma amphitheatris
excipiat vel si quid habet mage pulcrius orbis.
Sed natale solum tibi dat Bethlense bovile.
Dignus eras cunis puro stellantibus auro
et nitidis smaragdis scintillantique pyropo
et Polycleteo tractatis undique cælo.
Sed cunæ præsepe tibi est asininaque phatne.
Dignus eras Tyria velari syndone facto
tegmine, dignus eras peregrinis membra ligari
fasciolis, qualeis mulier pertexit Iava,
et lemniscata velari timpora mitra.
Vile sed involucrum vix est, vix fascia scissa.
plumula te decuit molli mage mollis olore,
plumula cæsareis farctari sueta cadurcis.
Serica te lodix, te condecuere nitentes
pulvilli et pictis contexta toralia filis.
Nil sed adest horum. Pro scirpea matta torali,

*

232 exors Dr. 250 Bobylonia Dr. 256 cœlo Dr.

pro pluma cespes, pro cervicalibus ulva est.
Nil geniale locus resonat. Casa sibilat Euro.
Corruitura nigri dubiisque fragoribus antri
tigna, Typhone furente, magis magis atque vacillant.
Nil geniale locus resonat. Vagitat abunde
pumilus atque boant tauri, reboante bovili.
Nil geniale locus resonat. Bona nabla silescunt.
Non resonant litui, præter quod rustica agreste
decantent odea melos, flat crembala nota
illus, hic utriculos, calamum hic, crotalum ille ministrat.
Nil geniale locus redolet, quem Flora decebat
spargere cœruleis admista stœchade nardis.
Nil geniale locus redolet, quo fumiget assa
fuscus Arabs dulci stactemque accendat odoram.
Nil geniale locus redolet. Male fœtet olente
buccerda, vel si quid adhuc mage fœdius heic est.
Divitis heic nihil est, nihil est, nisi copis egestas.
Nulla crepundia, nulla pupa, crepitacula nulla,
queis pueris gerulæ blandos movisse cachinnos
suerunt, heic tibi sunt, strepti nec, nec melimela,
insipidæ pauco sed pultes unguine tinctæ.
Non domus officiis strepitat, non calce ministra
turba crepace casam circum discursat. At ipsa
forda suum flexo veneratur poplite plastam
et tepido gelidas spiramine temperat auras.
Quin delinificum malesueto murmure lallum
psallitat innocuus Joseph vetulasque marita
fasciolas stertente lavat. Sic, pusule, dormis.
Huc modo flecte gradum, tritavis titulisque superbe,
principe quique crepas nataleis stemmate ductos.
Rex regum spreta procedit virgine natus
fitque suæ suboles matris, quam fecerat ante.
Quique peregrinas erecto vertice cristas,
muricibusque geris collaria tincta Sabæis
atque capillatus miris anfractibus infers
astra caput sublime, fragrans ambramque crocumque,

*

276 crembula Dr.

majestas, adtende, nihil fert cœlica mundi
mundani, non capsulam olet, non flamina moschi.
Non Cois ornata caput, non tergora, telis.
Divitiæ fiunt inopes, opulentia summa
deficit ipsa sibi. Dedisce, puella, tumere,
patritia jactata stola, fucare capillos
docta galericulis, annos mentita virenteis
fronte colorata tumidisque superba calyptris.
Quæ picturato metiris syrmate vicos
tardipes, auratis imitans crinalibus astrum,
torque gravata, manus onerata monilibus ambas,
quid, russata, tumes, turgens spurco pede pava?
Ecce Deum matremque Dei, quam pauper uterque est!
Hæc tamen immensi genitrix audire tonantis
debuit et veras mundo peperisse favissas.
Antoni dapibus prolixis suetus et auctis
Cleopatræ cœnis olidæque domesticus aulæ,
suga coquinarum, mappæ convolvolus unctæ,
lurco, nepotator, patrimoni termes, hirudo
trullæ, fertorum calo, nex juris, adarca
carnis, adimpletæ concorpor gluto culinæ,
lixa diætarum fumique peritus haruspex,
quique merum jugulas noctesque diesque meracum,
mane novo madidus nec sero vespere siccus,
disce tuam frænare gulam, desuesce diurnis
luxibus assiduus et brutam vivere vitam.
Esurit ipsa Empanda, sitit sator ipsus Iacchi.
Agmina qui aligerum, qui examina muta natantum,
qui quadrupes pecus omne cibat, jam lacte cibatur,
quod tamen ipse prius dederat. Fit matris alumnus,
quam tamen ipsus alit. Nonne hæc mirissima dictu?
Paupertate premi durum. Tamen ipsus egebat
orbis thesaurus ditisque æraria cœli
non exhausta prius, jam defecisse feruntur,
qualiter immiti furibunda canicula sole
stagna sitit, Lycus et tostas rellinquit harenas.

*

306 Cœis Dr.

Discite mortales, quam sit res proxima cœlo
paupertas, quam dulce pati. Pauperque miserque
heic jacet ipse Deus, cunctæ bona regula genti.
Ipse creatorem locus ignorabat, inante
qui spatiosa soli fundarat mœnia lati,
vix gurgustiolum jamjam pariendus habebat.
Cuncta tegens non tegmen habet. Quem roscidus æther
et tremulæ cœli faculæ, quem conscia fati
sidera cuncta canunt, positus vagitat in antro.
Qui quondam effreni crepitante fragore cohorti
legiferum sonuit Sinæ de vertice murmur,
jam jacet atque infans nescit madidam linguillam
in certos formare sonos. Contraria forti
compingens elementa manu plasmataque, magni
pondera ponderibus librans æqualibus orbis
et superis inferna ligans, jam robore cassus
udula fasciola non grandi membra ligatur.
Quique potentirega superæ velocibus aulæ
cardinibus dextra motum moderatur et aurei
flammea distinuit Hyperionis esseda quondam,
jam jacet in cunis et pollice vortitur uno.
Parve puer, sed magne Deus, quis credidit umquam,
posse Deum cerni sed pura virgine natum,
virgine post partum quoque virgine, ut ante, manente,
immortale bonum formæ sic posse caducæ
uniri? quis posse sibi contraria jungi?
Hoc majus ratione: fide majora valemus.
Ad sacra cæcutit ratio. Ratione caremus,
cum summe rationis opus. Sed simpla beatur
præ ratione fides. Probat hæc, quod pernegat illa.
Mirari, non rimari mysteria tanta
nos decet et veris scripturæ credere verbis.
Terra fure, freme mors, caro ringe, diabole frende,
quæ, quid in orbe, mali est, gens sacrilegissima, patras,
frende diabole, ringe caro, freme mors, fure terra.
Perge venenatas liventi dente salivas
exspuere et rabida nos tenta perdere bile.
Quid laceras homineis, vinci perimique paratos?

Univ. of Mich. Commercial Microfilm 1966

Ecce sed has cunas, vagitantem ecce puellum!
Quid tremitis, furiæ? Puer est! Palletis, hyænæ?
Vincere res facilis puerum virtutis inanem.
Vos præstate viros. Satana, tu signifer esto.
Extentate modo, si quid sivisse nequitis.
Sed fugitis, larvæ? Vetulum quis synciput istud,
excetra casca, tibi tam forti contudit ictu?
Quis te, Morta, fugat, validæ quis spicula nuchæ,
intorquet propriaque tuum crus falce cruentat?
Munde, cadis? inferne, ruis? peccata, fuistis?
Fallor an hæc potuit miranda puellus, ut omnis
induferum tremefacta phalanx, hoc principe viso,
alter in alterius male providus irruat enseis?
Quisquis at interea nostram peregrinus in urbem
ire paras, novuli laceras visure puelli
cunas, non moveare, nec offendare misella
conditione loci, pueræ non paupere partu,
ne seras olim irritato numine pœnas
perversa cum gente luas. Sic fata volebant.
Magnificum quod erat, quod erat regale, Jehova
sprevit, ut hinc fieret stolidi sapientia mundi
stultitia proprioque ruat glaucomate strata.
Non alio falli stratagemate mundus et orcus
debuit. Hi sancto jurabant federe, teste
atque sacramento, cessuro tempore nullo,
in caput huius heri. Jamque ignarissima vinci
hæc sibi biga videbatur. Jam sidera cœlo
detrahere inque gravis sublimia tollere ponti
æquora et ablato confundere semina rerum
ordine tentabat, chaos atque inducere primum.
Sed risere nefas cœlestia numina tantum.
An poteris, dixere, tuis imponere finem
ausis, gens confisa tibi, contraria nobis?
Fortean et nostrum conabere perdere regnum,
et nos hoc turbare throno! Quo duceris iris?
Desine ventosi, gens o temeraria, nisus,
desine flagitii: mage te majoribus instas.
Pergis? At ecce brevi dabis argumenta pudoris.

Te leve perdere erit, vili peritabis ab ictu.
Jam cadit a solo gens bellacissima nutu
imbellis pueri, porrecto et pollice pusi
corruit, ut quando nutans ad flabra Favoni
fulmineo calamus cum cespite sternitur ictu.
Sic nobis reparata salus, reparata superbo
libertas titulo. Sic pax occisa revixit.
O stabulum princeps, augusta bovilia, macta
sitis honore novo! Vos non pretiosa superbi
templa Solomonis, non vos capitolia falsum
Ausoniis mentita Jovem, non aurea fidæ
mausolea viræ, non picta palatia Lydi
præveniunt splendore suo. Non regia Cyri
regia, si spectem vos, est. Non vester abundat
aulæis paries, operosus araneus omne
cassibus obnupsit laquear. Tamen ipsa potestis
hoc placuisse Deo, quod eratis vilia mundo.
Sub vestri nigris olidisque recessibus antri
dissimulata jacet Deitas. Vos cœlica circum
turma strepit, vos plena poli, vos numinis estis.
Heic Tagus, heic Phison, heic Pactolus Duriusque heic
exonerent dites huc verso flumine merceis.
Concha suas baccas et nuda corallia marmor
huc vehat, huc Indus gemmis auroque superbus
sera deauratis advectet munera cistis.
Persa Camelus opeis et aromata pinguia portet.
O me felicem, si tunc me, Phœbe, beasses
munere vitali! Vestros ego virgine lauru
umbrassem posteis, tunc vivaces amaranthi,
tunc et amatrices ederæ vincæque procaces
verbenæque sacræ, curvo mihi pollice carptæ,
vestra venustillis velassent tigna coronis,
omnis et in vobis spirasset copia narjum,
mite decus veris. Mopso et Lycidæ phonascis
tertius ad teneras adstans ruralia cannas
carmina lusissem. Nec nix, nec bruma, nec imber,

*

448 copium Dr.

nec Boreas, multa aut vigilatæ tempore noctis
hoc caput a vestris vidissent cedere tectis.
Salve, quæ poteras nobis hunc mittere partum,
alma Dei genitrix, geniti quoque filia, salve.
Tu paris incorrupta Deum, patrem et patre natum,
ingenitum gignis, non factum eniteris heroa.
Incircumscriptumque incomprehensibilemque
intemerata capis Dominum. Tu virgine nutu
blandiris puero, parvis nunc uda labellis
oscula suffigis, nunc pusum bella papillis
porrectis vagire vetas, modo das suaviandum
non vero risura patri, modo blanda cachinnos
vel blæso teneros invitas murmure somnos.
Tu benedicta vira es. Sola tu laude beatæ
angelico mactata melo: tibi favit olympus.
Donec erunt celebranda tui natalia nati,
te memori gratæ cantabunt carmine gentes.
Jamque venis puer, alme puer, mi pupule Jesu?
Eja venis? Quid at occipiam? quo munere vestras
excipiam cunas? quæ thurea dona novabo?
Ima tibi nostri sacro meditullia cordis.
Hæc nitidare tibi juvat, hæc ornare laboro.
Sunt aulæa fides, precibus tibi suffio puris.
Verro scopis legis nostræ penetralia mentis
et veterum ejicio verruncamenta malorum,
ut vitii tibi pura domus mea suppetat expers.
Christe, tuis si rite sacris operabimur, intra.
Amplexura tuum languens hæc brachia molle
tendo latus. Puer o, puer o, quo surpior a me?
Non homo sum, sed in Elysiis mihi vallibus esse
jam videor, sic vestra mihi præsentia toti
immortale quid insinuat, me additque deastris.
Ah! oculus fiam totus, quo fixa reflexis
lumina luminibus mea vestris momine quovis
pascere pupillasque sat inspexisse flagranteis
possiem et his omnis flagrans obtutibus urar.
Ah! auris mera sim, quo sat, tenerille, potessim
vagitus audire tuos, qui cœlitus auri

angelicis modulata tonis sunt musica nostræ.
Ah! os sim cunctus, sat ut osculet oscula vestra,
oscula nectareo totum stillantia rore.
Sancte puer, te non genuit vis mascula, te non
luxuriosa maritati conjunctio lecti.
Fæta Deo tua mater erat gravidataque cœlo.
Obstupet arcano repleri viscera partu
virgo suumque solique rubet progignere patrem.
Te non nupta parit, prius ac est facta marita,
et facilem perpessa virum te enixa puella est,
cœlite distenta flatu. Te parturit æther.
Tu patri, pumille, places. Tu numina nobis
propitias. Summo per te placuisse parenti
possumus et lætos ad cœlum tollere voltus.
Tu reseras claustrum omne poli, tu janua cœli es
et callis, quo turba viat, quæ tendit ad astra.
Tu decus omne poli, per te prius invia mundo
nunc est ad veram remeabilis orbita vitam.
Tu lapso spes sola solo, tu potio vitæ,
tu ratio consusque Dei, tu splendor, imago,
os, verbum, genius, sapientia, filius, ara,
virtus et brachium patris es. Tu lucifer, ortus,
stella, salus, lumen, radius, fons, gemma, columna,
fax, pax, rex, dux, lux, lex, spes, res, laus, caro, cor, vir,
gaza, gigas, rabbi, judex, sol, sponsus, amator,
pastor, ovis, vitulus, gallina, leo, pater, autor,
vinea, vitis, oliva, lapis, radix, amor, aura,
Emmanuel, mediator, honor, salvator, amicus,
protector, custos, vigil, induperator, asylus,
anchora, præceptor, solator, propitiator,
angelus arcani pacti librique sigillum,
Melchisedech, unctus, levita, propheta, sacerdos,
pascha piis, ægris medicus, panacæa fideli,
mors mortis primæ, vitæ spes una secundæ,
viperii medicina mali stygiique veneni
unus alexicacon, veræ daps vesca salutis,
immarcessibilis decus immortale coronæ,
mas una sub fronte duplex, homodivus, A atque O

Messias, Gibbor, Schiloh, Zebaoth, Iehova,
omnia solus et unus ades. Te vesper adorat,
te veneratur uterque polus, tibi supplicat ortus.
Te Cherubim Seraphimque canunt, tibi militat omnis
æther et canis vernat tibi terra capillis.
Te veniente fugit nimbosus Orion olympo
nec stricto fidit gladio. Te Plejades udæ,
te gelidus metuit Cepheus Cepheique marita.
Canus Atlas tantæ tremuit sub pondere molis.
Liquitur omnis hyems, frigus tepet omne Decembre
et nivibus geniale fuit ver bruma solutis.
Te pater Oceanus, te vasti machina mundi
natum mirantur, roseis matuta quadrigis
vecta pudoricolor vitreas nitidissima cœli
picturat valvas promus condusque diei
te nascente suum triplicat jubar. Ipsa parentem
obstupuit natura suum. Jam vinea mirum
hac mandante dabat, quod Romula terra fateris.
Hic stygiis stat meta dolis. Offucia cessat
imposuisse viris, nigrum non itur ad antrum
Pythiadæ, jamjam Euboicæ responsa Sibyllæ
deficiunt, jam Chaoniæ siluere columbæ.
Jam Nasamoniacos mendax non fascinat Ammon
inducolas, jam lymfatus non somnia in hulmo
flamẽn habet. Deserta dolet delubra camillus
vittatusque senex suetis discedere lucis
luget. Fatato marcent oracula tabo
et pueri laudeis invita loquuta Hebræi,
fassa Deum, se fassa dolos, elinguia mutent.
Pax Romana ruit, ne posthinc temporis umquam
pacem alio gentes peterent, quam pacis ab ipso
principe jam-nato. Cœlo monitore rejecit
Augustus titulum dominantis, ut hinc dominantum
solus habereris dominans solusque monarcha.
Paruit ipse suo Domino velitabilis aer,
ipsius in laudeis pransus, in jussa paratus.

*

546 cessit Dr.

Materiem mittente solo vel pabula cœlo
suppeditante faci, mirando lumine stellam
in se ardere facit vicini dote caloris,
stellam, quæ poterat Phœbe jam lampada si non
vincere, sed parili tamen æquavisse nitore.
Nempe novo insolitus debebat sidere partus
cunctis, quas ambit polus, innotescere terris.
Viderat hoc gens docta Magum, quos Persica claræ
fecerat astrorum gnaros academia Susæ
et superas novisse rotas. Hi, sidere rectam
prælucente viam, veniunt orientis ab ora
atque tuas proni cunas venerantur et aurum
et thus et myrrham triplici pro munere donant,
belle, tibi, tibi sacra parat gavisa juventus.
Sisteris in templo, resonat tibi carmina laudum
Anna senex. Veteri de federe factus Apella
conspiceris, patriis sic legibus omnia pares.
I nunc atque aliam venturam crede salutem,
cassa animi, non cassa oculis, plebs, corporis, exspes,
cerne diem medium, Messiam cerne renatum,
quem te suspirare crepas. Quid fercula mantas,
non libanda semel? Tandem dedisce rigere.
Persa superstitiose, tuis fac solibus igneis.
Aegyptus, tua porra fove, crocodilon adora,
flecte genu canibus, bobus tua fumet acerra,
fide cato, cole barbigerum Mendesius hircum.
Cœpe Babel venerare tuum, strue Panibus aras
semicaprisque, lita furiis erro Inde. Deorum
Romula terra ferax, quod non pro numine monstrum
suspicis et venerare Deum, quod damnat olympus?
Hoc non immortalis eris, non multa deastrum
millia vos rediment. Puer hic mihi sufficit unus.
Non dubiis numen conjecturamus in extis.
Non lævas tenebras fatui non fata camilli,
flaminis atque logos Jovis aut oracla moramur,
obvia non omni. Nos veri conscia cultus

*

597 enebras Dr.

pagina ad hunc puerum legat, cui numina juncta
vestra Mephitis erunt vel nigri fabula cygni.
Sed sit meta, pusille puer, mihi dicere laudeis,
queis non meta tamen. Sat sit primore labello
nectareum gustasse merum, quod manat habunde
ex oculis atque ore tuo. Num terrea juste
lingua Deum cecinisse queat, cui cœlica mutet,
angelus et non digna canit? Te digna canemus,
quum similes nos esse Deo et tibi feceris olim.
Sed dum sacra tibi facimus, dum tura litamus
mascula, magne puer, servos non sperne precatus.
Respice nos patriæque statum, proh! pene ruinam.
Non poteras nobis mage tristi nascier ævo,
quo pietas cum pace jacet, quo Martius horror
et Bellona furit. Coeunt diademata pugnis.
Vivitur ex spolio. Tentat regalia sacrum
perdere sceptra nefas. Trucibus sudascitur armis,
insidiis irisque novis et fraude nocendi
terra tumet, paritura dolos. Non cædimur uni.
Callida justitiam vis supprimit, alma vacillat
religio, casura brevi, nil nomine terris
rarius est fidei. Libertas exsulat orbe.
Omne navifragum mare fiunt, omnia nimbus.
Fata suprema solo minitantur; in omne ruinas
truditur et propriis franguntur singula technis.
Christe, juva, si pacis amans, si pacifer ipse es.
Parce tibi, non parce solo, quod plura dietim
non-bona patrando non volt sibi parcier a te.
Turba misella sumus, nocumentis callida nostris
et studiosa mali ceraque sequacior omni
in vitium flecti. Moriæ, maxime, tantæ
ignosce atque magis fatui miseresce popelli.
Hactenus in mediis tranquilli vivimus armis
vicinosque rogos et multæ incendia terræ
vidimus intacti. Fac, si quid vivere restat,
vivamus tutam pacato tempore vitam.

*

608 quam Dr.

Dirige sceptra ducum, socio fac turbida multum
litibus absumptis firmentur federe regna.
Suspirata diu redeat pax. Semina verbi
fac florere tui, nostras defende cathedras.
Fac termitratum nobis mitescere patrem,
si tot vota valent, si tot tibi suspiratus
frangere cor patrium, quos gens vix tertiat hela.
Annos in plureis defenset dextra verendi
nos Rutensigeri. Sub frondibus hujus et umbra
Pierias fac habere deas, mea numina. Crescat
curia nostra bonis, æquas dent rostra secureis.
Inque choro inque foro inque toro concordia constans
muniat ætateis, si qua speranda, futuras.
Quod superest, vobis demisso lumine grateis
offero, magnifice gestator dignæ tiaræ
philosophaque mitratæ mitra reliquæque catervæ,
quam Sion, Astræa, Hygiea decusque Sophiæ
picturata vehit per sidera famine jugi
virgineoque choro, vobis, inquam, offero grateis
pro facili accessu, promptæ pro munere mentis,
auris et officio placidæ. Sit vester Iesus,
cujus in optatum longo venistis honorem
ordine. Sic vobis, ceu cœptum est oscine fausto,
omnis eat, votis respondens omnibus, annus.

Dicebatur Lipsiæ in auditorio philosophico
Kalendis Februariis anno Messiano
MDCXXXI.

Christo hodie-nascenti hyporchema.

Varia varius, alius alia tibi, puerule
tenerule, nitidivide, novule,
melea recinat, ubi noviter es hodie genitus;
brevibus at ego brevia pedibus

*

658 fauste Dr.

tibi mea volo canere canimina. Puere, brevis,
brevis opera mea tibi placeat.
Mea facinora mala, fateor, ea male mala sunt.
Macet animula mea sceleribus;
medice, tua medicifera, polirega manus eam
juvet et ea vitia fuget ab ea.
Misera miseria mea mihi miserulum hebetat animum,
lacryma bibula tribulat oculum.
Ego, nisi mala, facio nihil, ita male mihi fit.
Bona video, nequeo sed eadem
facere. Videt animula mea mala et ea renuit,
ea tamen odia sua sequitur.
Nevolo mala, tamen ea facio; bona, licet ea
facere cupiat animula, sino.
Sum ita malus ego mihi, mihi noceo, mihi pereo.
Utraque latera diabolus adit,
facinoribus ego latibula mereo Satanica,
patris odia mereo quoque tui his.
Quid itaque supererit, ubi refugere potuero?
Adeo miser homo tua stabula,
hominisate, policole, deigenite, solivene,
nitidulipuerulipuerule,
memoria mihi cor hilarat epulisapida tui,
oculitus, animitus ego te amo.
Tuus uti, Deus, ego; rogo, Dee, meus ut ita sis.
Ita similis ero tibi, mihi tu.
Homulus es, ut ego; Deus ut es, ero, ubi volueris,
meus animulus ita tuus erit.
Fac, ut opera mala male, bene bona mihi placeant,
merita tua merita mea sint.
Ita propitia, benivola bonaque tua bonitas
supera domicilia mihi meret.
Ita miseria mea fugit et ita ero novus homo,
tuus ita genitor amat iterum
me, ita diabolica dominia nihil ego facio,
adyta nec opica timeo Erebi.
Sit ita, tenere, placide, lepide, nitide, rosee,
favifluide, meule puerule.

3. Tædæ Schœnburgicæ Paulli Flemmingi.

1631.

Illustri Domino, domino Christiano L. B. a Schönburgk, jam sponso, εὐγαμεῖν.

Sine munere et voto sponsus a me salutari non debebas, domine. Dignum erat ei gratulari, de cujus favore et benevolentia jam olim mihi. Sed munera ubi? Talium ego egenus, nec tu egens. Quæ vero habeo, heic habe! Et hujus et illius vicem explere debent hæc, quæ his diebus tibi scripsi, epithalamia, hoc est lusus artis minime severæ. A Fescenninis [1] fortean haut nulla mutuo sumpsisse videbimus; sed ideo male fecimus, si fecimus? Non puto. Arcendo fascino olim canebantur illiusmodi compositionis carmina; concedatur et mihi hic prætextus. Respice hanc ætatem, quæ propensior est ad amatoria. Juvenis sum et concessum puto alludere ad concessas voluptates. Celebritas nuptialis non adeo rigida est, quæ jocos non admittat. Verborum petulantiam notus vetere instituto ludus Ausonio admittit. Absit autem a me, ut tibi offeram mere Fescennina, hoc est, talia quæ a theologo vel in virginum choro non possint debeantve legi. Di prohibeant talem impudentiam! Reverentior sum tuæ sublimitatis, illorum sanctitatis harumque castimoniæ. Sed et epithalamia, inquit magnus Grotius, habent, quod excusent, suam nimirum, id est nuptialem linguam, sine qua ne epithalamia quidem sunt. Quodsi fortassean et nostris jocis alicujus severitatem lacessiverimus, nuptias severa non amare sciat. Legat, ut γαμικὰ, ut eadem probet et ignoscat; sin minus, ne limis quidem obtueatur. Omni judicio heic non satisfacitur. Nolit, velit, perinde est; aliter hæc non fiunt nec debent. Tu, sponse, cum Junone tua, utere, quod per ætatem et tempus licet. Deincipem tuam faventiam mihi polliceor, qui sum tuus humilis

P. Flemming, Harttenstein.

(1) Ad Musas et Amorem, Ithyphallicum.

Tripla triga viraginum, fletis invidenda
jura mortis adhuc trucis? Juliam Mariam

*

1 Fescenniis Dr.

UNIV. OF MICH. ... Commercial Microfilm 1958

lacrumatis adhuc poli sedibus receptam?
Dedolete, rogo, a feris temperate vobis
5 planctibus, volo, lacrymis abstinete tandem.
Non, ut ante, mihi dabit scriptionis ansam
lugubris Libitina, non squallidum feretrum.
Nec Jovis tonitru crepam, nec canam Gradivum.
Quid boni inde fuat? Deum sed potentiorem
10 omnibus mage dis canam. Quem? Cupidinillum.
Hujus uranimas faceis atque factiones
expedibo. Sed heus, meæ te volunt Camenæ,
magne pusio. Si voles scribier, venito
et præi melos. Hoc quidem si nevis, tacebunt.

(2) Dis nuptialibus S.

Numina, quæ vestris ardentem nutibus orbem
ducitis atque tori jura cupita datis,
si juvat alterno dare mollia pægnia versu
blandaque lascivo carmina ferre pede,
5 si fas splendidulas, ea vestra negotia, tædas
dulcisonis noviter rumiferare modis,
huc faciles cita ferte pedes. Nam, cernite, vestra
res agitur. Vestris rebus adeste, rogo.
Nempe nihil, vestro nisi fotum substat ab igne
10 tactaque de vestro cuncta calore calent.
Impetus ille datur vobis, quod amare vocamus.
A vobis, quod habet semina amoris, habet.
Æquora connubent terris, ambos perit aer,
huncque vocare queunt illa, nec illa suum.
15 Sidera sideribus nictant; quod carus amanti
præstat amans, stellæ lucida stella facit.
Excipit Auroram Phaeton, Phaetonta crepusca
nox, noctem sequitur rursus amica dies.
Scilicet omne, quod est, ad amorem accline videmus
20 et socias in se cuncta tenere faces.
Cernis, amatrices ederæ redamentur ut ulmo,
ut teneræ fago vinca procetur amans.
Solsequium sequitur vultum fugientis amici
et rosa narcissum basia blanda petit.

Consocia Philomela sua (quid majus amore?)
cum viva vivit, cum pereunte perit.
Turtur item suprema sui post fata mariti,
triste tuens, vitæ non superesse cupit.
Quis docuit lepores et amantes agmina cervas
coganimo certis igne favere viris?
Quin pecus undivagis squamosum fluctibus errans
in mediis stimulos sensit amoris aquis.
Purpura purpuram amat. Socio murænula gaudet
et similem, qua se trutta maritet, habet.
Omnia adunat amor. Frons frondem, guttula guttam
deperit et flammam flamma corusca capit.
Auspiciis fiunt hæc, maxima numina, vestris
omnia, quæ suavi jungitis igne frui.
Plena boni, res plena favi, res cœlite plena
ambrosia, tenero tactus amore capi.
Scilicet astrimici laqueata palatia cœli
ardentem nequeunt rettinuisse Jovem;
nunc auri, nunc cornigeri sub schemate tauri,
nunc arsit visas falsa Diana viras.
Cœligena plebs omnis amat. Quin plurimus almo
dicitur illorum factus amore deus.
Vejovis, Hippotades, Salisubsulus, Evius, Orpheus,
Leucadius, Siculus, Plutus, Apollo duplex,
Pan, Hymen, Nereus, Satyri, Sylvanus et omnis,
qui fuit aut nunc est, fertur amasse deus.
Juno, Ceres, Cybele, Thetis, Ida, Diana, Calisto,
dicier hoc almæ commeruere deæ.
Solus homo frigeret et insociabilis esset,
quem penes est hujus flamma sat aucta foci?
Hinc grandæva parens fabrefecit opus mirandum,
cui dedit in cunctos fortia jura viros,
cui dedit indomitos juvenum domitare lacertos
et cicurare feri sensa severa maris.
Illud opus virgo est, illa blandissima plebes,
quæ solo mentes fascinat intuitu.

*

47 Salisubsalus Dr.

Virgine quid potius nos nobis surripit? aut quid
externat nobis corque animumque magis?
Aspice vincentes clarorem solis ocellos,
an poteris visus compos adesse tui?
Mala vide malas imitantes picta pudicas
et, quæ non poterat comptior esse, comam,
lactea sed taceam modo colla manusque tenellas
atque leves, docta quos movet arte, pedes.
Nec pallas Afro bis tinctas murice dicam
quæve tegunt niveum suppara picta femur,
queis alias multum cœci capiuntur amantes;
gratior ornata virgine gliscit amor.
Aspice divinæ venerandum frontis honorem,
hæc est, jurabis protinus, ipsa Venus.
Tantus ab aspectu si solo raptus amanti est,
quam dabit illius ecstasin alloquium,
a collo cum pendet amans dominæque opponit
ignea defixis lumina luminibus,
quando medullitraho jungunt ferrumine languidi
udula semhiulcis ambo labella labris?
Et quei non arderet homo, cum dædala cuivis
congenitum dederit mater habere jecur?
Fomes amoris hic est. Quod si prolexerit ignem
ex oculis Veneris pusio virgineis,
incipit extemplo scintilla latere sub isto
innocui juvenis parva parenchymate.
Hæc quotiens tacitis impulsus motibus aurea
conspicit in blandis sidera luminibus,
flamma fit; hinc sumptis immensus viribus ignis,
quam dominæ solo pascit ab intuitu.
Officiperdus erit, redamet nisi, quisquis amatur,
talis et haut hominis nomine dignus erit.
Et qui non stimulos sentiscit amoris amicos,
is quoque se nullum credat habere jecur.
Euge sagittipotens Empusa deique deæque,
qui facitis socia cuncta flagrare face,
huc faciles cito ferte pedes et vestra canentem
munia vosque ipsos igne juvate sacro!

(3) Lusus ad Amorem.

Jamque puellularum
blandula concio nobilium
Cerere abstinuit
cymbiisque Jaccho
spumantibus trimo juvenum chorus
modum posivit inclitus.
Huc, paranymphule, blandule, vinnule,
bellule, parvule, delicate,
veni citusque virginellas
nitentiore visu,
decentiore risu,
placentiore nisu,
ausu procaciore,
plausu expeditiore
lætifica roseas
hillaritudinibusque lepidis
onera tuos clientes,
sexusque masculini
sexusque fœminini
onera tuos clientes.
Quin et impera choreas,
quin et ipse duc choreas,
audaculas,
venustulas,
jocularias choreas
et comitate dulci
et procacitate molli
et protervitate grata
et loquacitate culta et
saltatione multa,
reciprocatione,
adlusitatione,
dissuaviatione
supparasitare puellulis,
donicum summo redeunte mane
rubor pœniceus coloret aure-

æ Auroræ roseam axem.
Quin et novum maritum,
quin et novam maritam,
ambos novos maritos
prænobiles maritos,
et vinnulos
et melleos
et musteos maritos
tuosque candidatos,
in geniali conde toro,
sociumque brachiali
compar hoc ferrumina nexu.
Ibi mille, mille, mille
dissuaviationes
susurruli, cachinni
amabilesque lusus
petentur et dabuntur,
dabuntur et petentur.
Ibi, quos vocabulorum
partitudine
jocos novella
serie sacer sat aucta
Tarræus expedivit,
omnes, ad unum omnes
dabuntur et petentur,
petentur et dabuntur.
Sed st! Hymen faces!

(4) Hyporchema. Sponsus ad sponsam.

Toripeta mea, mea torivena,
animiclepa mea, mea meula,
vide, jubarivomus, oculipotens
maria subit aquifrema Phaethon.
Ruit oculitega, radiineca,
opica tenebra pede citivolo.
Pelagigena, nitidicoma dea
jubare placidula radiimico

domicilia repetere satagit.
Hilaricana viridia nemora
celeriter avicula repetiit.
Latibulicola latera sinuant
frutice pecua. Venus age mea,
age Venere nitidividior
puerula, puerula tenerior
Helena, age, choreisequula fuas
mea. Agilia, cita, strepitipeda,
rapida tripudia dare lepidum est.
Canere, petere, joca dare puta,
labiola dare veneribibula,
rosidula repetere labiola,
properiter hoc agere lepidulum est.
Vocat ibi barybromius Evius,
femorigena, dea fretigenita,
pharetrigerulus Amor ibi vocat,
ubi reciprocipeda tripudia
iterum et iterum et iterum et iterum
repetierimus, adhibuerimus
iterum et iterum et iterum et iterum,
meraque ubi labiola labiolis
tepidula dederimus ebriolis,
celerifugere, properiruere
decet epulithalamisociolos
in ea loca, habitat ubi requies
tenerula, calidula, placidula,
benivola, Venere data requies.
Toripeta mea, tibine placet hoc,
animiclepa mea, mea meula?

(5) Ad Solem.

Væga perennicirculator ætheræ,
luminis dator, tenebræ
destructor, auræ ventilator purime,
unus arbiter dierum,
quid non penetriangulo cernis tuo,
quidve non lustras ocello?

Univ. of Mich. Commercial Microfilm

E quom lacertis mane conjugis tuæ
exsilis et flammiconda
metiris aerem citigradus face
ad meridiem usque, donec
sub vesperuginem quadrigam divite
abluis fessam fluento,
hæc non videres, quando cras rediveris,
virginem fuisse sponsam.

(6) Ad serta.

Coloribus corollulæ divitibus nitidæ,
quas variis varie pingit puella floribus,
et indicinam haud mortuæ virginitatis eas
flammeolis capitis comis adaptat aurei,
lugete, florum filiæ, vos uti sponsa gemit.
Condocefecit Amor vittam decere fœminam.

(7) Ad Morbonam et Senectam. Molossicum.

Multo turpatæ corpus tabo,
larvæ, ruga multa
torvæ, macratæ, turpifrontes,
spisso tardæ gressu,
quæ tandem, quicquid restat nobis,
exsorbetis, succi;
heic quid vobis vultis, larvales,
exestote, itote hinc,
expugnatrices vitæ, vitæ
exstinctrices nostræ.
Heic sponsam sponsi, sponsæ sponsum
suaves pascunt nutus.
Heic risus, heic saltus, heic Bacchus,
heic daps, heic Empusæ
partrix, heic vafri cornu, telum
cum telorum theca.
Quid vobis cum sponsa, cum sponso,
cum saltu, cum risu?

Exestote hinc, perturbatrices
risus, omnis risus.
Sic ægrotabunt numquam sponsi,
sic numquam canescent.

(8) Ad Mortas.

Varipediclaudæ, confracticrurigradivæ,
gibbeidorsigeræ, pellidraconiferæ,
hydrivenenilabræ, basilisciferocilacertæ,
tabidilumbimanæ, collichimærimitæ,
luminitorvituæ, liventicolubrisusurræ,
raucisonibaubæ, linguibisulcifibræ,
horricerasticomæ, turpissimibusticolonæ,
imimedullivoræ, crudicruoribibæ,
laneifilisecæ, contortibipennitenentes,
nullivirimiseræ, cuncthominijugulæ,
appagete, appagete hinc, pestes, estote nec umquam
christianagnesisponsivenustinecæ.

(9) Alcæus ad Famam pro perennitate Schœnburgicorum, in quo reflexio fit ad illustrem sponsum.

Quæ sæculorum perpete volvitas
cursum rotatu, diva loquax, citum,
quæ clara temporum rubricis
vindicibus memoraris acta,
per te vetustum non latuit Chaos,
nec primus imber, nec bona sæcula,
nec qui Diespitrem volebant
pellere sede sua, Gigantes,
quod cana mundo nota Semiramis
et victor omnis dux Macetum soli
celsisque Mausolea tectis
et Pharus et Rhodius colossus
per nota te sunt. Nempe perennium
fastos deorum promis et unica
eliminare gentis ausa
cælitenentis habes patrata.

Si virtuosis provida mentibus
es, ut ferunt, quæ calcibus additis
laxaque tenderunt habena
vivere post sua fata firmæ;
Schœnburgicorum longa supermanet
heroa virtus, serus et incluta
nepos eorum cum futuris
nomina participabit annis.
Nam mens avorum, seu toga, seu sagum
virum poposcit, prompta tamen sequi,
sexcenta nil pavit pericla,
nec Lare marcuit expiato.
Sic ferrifrangus non catulum leo
gignit latracem, non tonitrucrepi
ales ministra motacillam
progenerat Jovis imbecillam.
Vultus nepotes namque parentium
veri suorum non referunt modo,
simul sed alma adæmulantur
ætheriæ simulacra mentis.
Christiane, tantis digne parentibus
propago, purum sanguen et inclutum,
miraculum famæ, juventæ
delicium, Clariis voluptas,
testor Camœnas et latices sacros,
quam multa dotum divitium penus
et entheatæ in te favilla
emicuit bene larga mentis.
Tu non secundus, stemma quod attinet,
ullis avorum, quod Veneres tuas
et dona de prioritate
cum tritavis atavisque certas.
Jam post tot annos, quos studiis vigil
raris dedisti, dum loca dissita
moresque multæ discolores
gentis alacri animo videbas,

* *

42 dotium Dr.

adoriosus tecta reverteris
paterna et hæres dignus et integer
ad-subditos-nata gubernas
almitie patriaque cura.
Nunc intimaris totus amoribus,
dum ducis almam stemmate de tuo,
avi sinistra, virginellam,
dotibus eximiis politam.
Hæc chara vitam Caja deincipem
dulcoret, oro, cordolium tibi
futura suave prole vincat
hæc Hecubam, Masinissam et ipse.
Porro celebris sic Calipyrgia
magmenta sumet plurima, plurima!
Bispellio nec funerabit
nomina vestra rigente cippo.

4. Ad quendam Schillingum Respondentem.

1631. April 20.

Est aliquid magni suboles audire parentis
et juvat a patrio nomine natus honor.
Vivida vis genii, patrios surgentis in ausus,
suscitat hæredem non sine laude suum.
Te stimulat laus cana patris, non nulle meorum,
patre patrissando par eris ipse tuo.

5. Propempticon Johanni Marco Med. Cand.

1631. Mai.

Johannes Marcus.		Is Machaon In Re.
Janus Marcus	ἀναγρ.	Ac Mars In Usu.

Martis et Artis honos in te sat, Marce, vigescit,
nominis ut produnt ipsa elementa tui.
Et Machaon in re, Mars et signaris in usu.
Quam bene contingit gloria bina tibi!
Nobilitat Mars, ars ĭtidem. Sic, clarus utroque,
nobilior duplici nobilitate clues.

Exsere vim duplam mentisque manusque, nec umquam
fraudet te ellogiis illa vel illa tuis.
Arte bonum, te Marte marem da cernere cunctis,
illud honorem animi, corporis istud habet.
Hinc patrios invise Lares, redimite tiaris,
quas texunt animis Marsque Cousque suis.
Cinxia te Juno mantat volucerque Cupido.
Se tibi tranquillam spondet amica Quies.
I pia cura Deum fœlici, Jane, volucri,
i memorumque memor sis maneasque tui.

6. Nuptiis M. Constantini Waltheri etc. Erotopægnium.

Ergo posthac blandililli
conjuges vocaberis
par beatum, par tenellum,
par, quod in Cupidinis
jura juravit deastri,
se ne velle disrimi.
Ridet arbiter jocorum
dulce pusus; sussilit
docta doctrix basiorum
gensque cuncta cœlitum.
Bella sponsa, sponsa bella,
quid verecundaberis?
Sponsa ride, lude sponsa
chrysalisco cum tuo.
Hoic subinde nuta ocellis
savii procacibus,
molle mollibus trementem
volnerans obtutibus.
Posce pendulum choreas
collo ab isto eburneo.
Hinc subinde bella bellis
jungite oscula osculis
et quasi ferruminati
mutuis amplexibus,
mille, mille, mille, mille
dimicate basiis,

donicum udo stelliluca
diva surgit æquore;
suadeat et nocticrepusca
vos tenebra stertere.
Mox-marita, mox-maritum
prende casta vinulum.
Juno lectum molle stravit,
heic cubare vos Cuba
addocebit, heic pudicus
subjugabit Subjugus.
O fathiscentes amore
conjuges novelluli,
quid rubetis? Imperate
impetracibus jocis,
alma quos cupiscit Ida,
quos jubet Thalassius.
Sic amate, sic cubate,
jure cras dicemini
hic maritus, hæc marita,
fors uterque mox parens.

7. Germaniæ Exsulis Ad Suos Filios sive Proceres Regni Epistola.

1631.

Pax Romana, ipsorummet Romanorum judicio, nullo vinculo fortius connectebatur, quam Germanorum inter se odio; ut Tacitus solenne votum in hæc verba conceperit (in de morib. Germanor.): Maneat, quæso, duretque gentibus si non amor nostri, at certe odium sui, quando urgentibus imperii fatis nihil jam præstare Fortuna majus potest, quam hostium discordiam. Lansius Orat. pro Germania p. 140.

Si qua mei vobis cura est et gratia, nati,
pignora, si genitrix jam quoque vestra vocor,
sumite non grandem sperata fronte tabellam,
sumite materna paucula scripta manu.
Qua vomit horrisonos spumanti gurgite fluctus
oceanus, de me qui sibi nomen habet,
heic, procul a vestro cogebar limine, mœsta
plangere flebilibus tristia verba modis.

Univ. of Mich. Commercial Microform 1990

Non ego communi pingebam elementa madore,
non erat ex cæsa penna volucre mihi.
Penna levis mihi canna fuit lacrymæque fluores,
quos gleba in rorem miscuit atra nigrum.
Hæc pinxi curvata genu cortexque papyri
scripturæ potuit fageus esse vicem.
Hei! regnis expulsa meis, heic erro misella,
in patriæ jacior extima puncta meæ.
Nubilar ex veteri compactum carice parvum
incolo, luxuries imbribus atque Nothis.
Nec secura tamen, sed circumfusa periclis
millibus, hinc terror me ferit, inde feræ.
Sola vagor, famulabus egens ignaraque mundi,
scissa comas, lacera veste, squalore nigra.
Daps mihi radices et tractus ab arbore muscus
curvaque turbatam palma ministrat aquam.
Pendula carnivoro flaccescunt membra marasmo
curaque tabividam me fera fecit anum.
Horreo, strigosos dum specto corporis artus,
ruga ut callosum plurima corpus aret.
Frons senuit, densis horrescunt tempora canis,
nec, quo condatur, dens gelasinus habet.
Ah mihi, qualis eram! Sed qualis, heu mihi, nunc sum!
Hei! cecidi miseris regia nata modis!
Illa ego bis senas inter pulcerrima nymfas,
illa ego delicium matris amorque meæ,
quot reges invicta tuli, quot Cæsaras armis
reppuli et a nostris finibus esse dedi.
Non ego bellicrepæ metuebam classica turmæ.
Tunc levis Ausonii militis ira mihi.
Non animum fregere meum, quæ Cæsar habebat
præmia, blanditiis non ego falsa fui.
Fœmina sum, sed quoque viro mage fortior adsto,
fœmina fœmineum nil nisi schema tuli.
Non timui vario stipatas Marte phalangas,
cuncta putans gestis inferiora meis.
Roma nihil, nil Cajus erat, cui paruit orbis,
hunc stravi meritis, Arioveste, tuis.

Trina mihi legio Varo cum principe capta est.
Terruit Arminius hostica lata meus.
Libertatis amor famæque cupido tuendæ
me facit æternos vivere posse dies.
Sed cecidi! cecidi lenta, regina, ruina!
Hostibus ah! cecidi vel miseranda meis.
Ecce! meis me jam subduxi sedibus ipsa.
Non poteram in tantis longius esse clathris.
Momine quoque meas lassabat subditus aureis,
funestis ululans querquera verba sonis.
Jam Ligius, jam Saxo suos mihi lacrymat æstus
et sua Marchiacus, quæ queritetur, habet.
Vidimus infectas liventi sanguine ripas
fluminaque innumeri rubra cruore viri.
Vidimus, ut viridem rubeo macularit abollam
alma madore parens, quam gemat omnis ager.
Commutant elementa viceis, non unica humandis
par fuit aut nunc est terra cadaveribus.
Quot mea lethatos absorpsit Mulda volones!
Quot satura evomuit, quam Sala sallit, aqua!
Parva queror, totæ pereunt cum mœnibus urbes.
Fumat ab hesterno plurima terra rogo.
Deserit excoctus vastatos incola pagos.
Nec vacua antiquum jam casa novit herum.
Aegre neglectis otiantur jugera dorsis
et dolet invitum segnia rutra solum.
Heic ubi prima novis stabant viridaria sulcis,
floruit et variis area plena rosis,
horrida jam rigido crevit labrusca racemo
et premit antiquum spina vepresque decus.
Fatato sum plena odio, quo lumina flecto,
exitiis video cuncta parata meis.
Me mea non fausto concepit mater olympo.
Jurarunt omnes in mea damna dei.
Omen erat, falso raperetur ut a grege, tauro
mater (et hoc retulit sæpius.) Omen erat.

*

79 Ne Dr.

Mole mea tunc fœta fuit. Sic protinus hæres
fatalis miseræ conditionis eram.
Diripior, quatior, vellor, hinc jactitor, illinc.
Invideor populis ludificorque meis.
Agna lupo, milvo pullus lanioque columba,
orbi ego carnifici præda cupita sumus.
Inscia servitii quondam jam servio serva.
Quos ego non genui, dant mihi jura duces.
Tot juga me lapsam procerum dissensio truncat
rimaque de triplici relligione triplex.
Non unis sum flenda modis, tot passa furores
sortis et in tantis territa facta minis.
Pestilitate meis totiens viduabar amicis.
Quam crepuit feretris trux Libitina nigris!
Hinc et emendarum graviora incendia rerum
vastarunt miseris horrea nostra pyris.
Per toties tot ducta vices modo defuit unum:
jam quoque debebam Martia jussa sequi.
Hei! sequor, hei! rapior, sed non quo bellica virtus
me vocat, ad (miserum!) civica bella trahor.
Sic, nullis devicta viris, jam concido victa
per me, per tenias concido vincta meas.
Ut ruerem graviore modo, tollebar in altum.
Sic ego lusuris sum pila facta deis.
Sic sua non fractam fregit discordia Romam.
Confundunt totum dissona sensa solum.
Sic fuit in fatis; quorum vi fracta fatisco.
Vindicibus solia stantque caduntque deis.
Temporis invidia celebres cecidistis Athenæ;
postque tot infestos Pergama celsa dies.
Corruit Assyrici robur regnumque tyranni
et meminit lapsus Persia victa sui.
Græcia prostratos luget subversa monarchas.
Forsitan et nostræ intenta ruina rei est.
Celsa manent. Sua fata, suæ stant omnibus horæ.
Quis dubitat? Pereo, sed quoque celsa fui.
Fortis eram, non jugis eram. Jam fœmina princeps
associor brutis profuga facta feris.

Sic quoque de patriæ proles Nimrodia sede
pulsus in insuetum dicitur esse nemus.
Heic mea millenis vario lamenta figuris.
Heic soli, heic miseræ jam licet esse mihi.
Rupibus in nigris, inter spelæa ferarum
vagio luctificis fœmina mœsta modis.
Me lepus audaci ludit per gramina saltu,
provocat et lacrymas impia pica meas.
Invida contractis spernit me frondibus arbor,
odit et adventus arctior umbra meos.
Scilicet est aliquid lacrymis habuisse sodales.
Næ! gemitus socii molle levamen habent.
Quis mihi collacrymat? Toto jam deseror orbe.
O quam sum patriis invidiosa deis!
Delphini nostrum miserati sæpe dolorem,
quod mihi condoleant, signa diserta ferunt.
Quin mea compassæ modulantur fata volucres.
Quævis et hoc loquitur tilia cæsa malum.
O quot ego quondam felix stipabar amicis!
Ipsa nec auxilio jam mihi mater erit.
Non mea Germanas angunt tormenta sorores.
Forte quid auxilii condoluisse fuit.
Ignibus ipsa suis me prima Bohemia adussit.
Inde fuit tantæ prima favilla pyræ.
Tot menses combusta flagro, tot concremor annos
perque vices nostrum crescere cerno rogum.
Hei! cur dives eram, nitido cur splendida vultu?
Cur placui dominis regia nymfa procis?
Jam vitiata meæ sum nausea facta parenti.
Deseror ingratis pulsa marita viris.
Cur regina fui? cur has diademate fulvo,
Europe, decuit præradiasse comas?
Cur sceptris onerasse manus, si fama nepotum
non erat in cunctas continuanda dies?
Me miseram! miseram! Quis me solabitur Hector?
Quæ bona præsenti stat medicina neci?
Quis mihi Mauritium, Fridericos quis mihi reddet,
queis stetit infractum stantibus imperium?

Quis dabit Albertum, Tarpeji dextram regni?
Quis mihi, quis reddet Hectora Teutonicum?
Jane redi! Joachime redi, redi o inclyte sanguis,
nomine qui merito dignus Achillis eras!
Quid facitis, nostri carissima pignora lecti,
quæ genui cruciis acta puerperiis?
Quid facitis? Nil dira movent vos tormina matris?
Sic licet in tantis segnibus esse malis?
Per patrios vos juro deos, per libera regna,
per jus, quo genitrix audio vestra, meum
Teutonicamque fidem, numquam quæ vota fefellit
gentibus, indigenæ hæc jam mihi præstet opem;
currite suppetias patriæ matrique labanti,
hei! si non casis, currite suppetias!
Namque potestis enim, quos heroa entheat aura,
queis quoque ceu tritavis Martia corda dedi.
Saxo, tibi, tibi, Brenne, tibi, Palatine, fuerunt,
queis steterunt meritis ara focusque suis.
Inclyta magnanimis heroibus Hassia stabat,
noster et a Guuelpho sanguine crevit honos.
Stirpis Anhaldinæ cara est mihi bellica virtus.
Ex Heneto clari germine dantur avi.
Quot Badena dabat, quot Wurttenberga celebres
Hectoras! His celebris Teutona mater eram.
Cernite concordes bene nexo federe Belgas.
Erubet immensum terra pusilla solum.
Divitis exspoliant æraria fulva Philippi,
quas et opeis geminus miserat Indus, habent.
His invicta cadunt et tanto principe vinci
laudibus apponunt mœnia tanta suis.
Hos imitabimini, si libertatis avitæ
pectora, si patriæ vestra subibit amor.
Vos uni spes una mihi, spes una salutis,
pignora, credimini, Teutona, Teutonicæ.
Numina per vestras mihi propitiantur acerras.
Restitui patriæ sic quoque quibo meæ.
Dicite Cæsario, Fernando dicite nostro,
cui dedimus patrii regia sceptra soli,

quas patiar non digna cruces, quas irruo mortes.
Sit, precor, in matrem mitior ille suam.
Has vobis lacrymas, hæc mœsto carmine vota
misimus, o decoris clara decora mei!
Misimus et fidæ libavimus ultima fago
oscula, maternæ symbola certa spei.
Ordine nil, nil arte dedi; mihi præpedit angor
mentem animi, calamum conflua verba suum.
Rumpite, quæso, moras, mora mors sperantibus ipsa est,
nec patitur nostrum pharmaca lenta malum.
Præstolor anxia opem, venturæ forte salutis
mitigat exsilium spes sibi fisa meum.

8. Promus miscellaneorum Epigrammatum et Odarum, Omnem nuperorum dierum historiæ penum abundanter extradens. Lipsiæ, Mense Septembri, Nobis meritissimo sacro MDCXXXI.

Gloriæ christianissimi invictissimique Suecorum, Gothorum ac Vandalorum regis Gustavi Adolphi et Joannis Georgii, electoris Saxonici, patris patriæ; juratorum fidei defensorum, triumfatorum augustorum sacrat intimatque autor Germanus.

(1) Cum defensionem patriæ elector Saxoniæ meditaretur.

Ut pater ensigerens patrias defenderet oras,
stringere suasit amor, condere ferra timor.
Hic jubet, hic prohibet pugnas, hic certat et ille,
ille suis validus nisibus, ille suis.
Stringit amor sua tela, timor sua stringit; amoris
excipit arma timor, arma timoris amor.
Quo patrias tandem tegeret pater ensiger oras,
Marte timor cecidit, Marte redivit amor.

(2) Federatio invictissimi Suecorum regis et potentissimi Saxoniæ septemviri.

Stabat et adjectis fidei concordia votis
optabat geminos jungere posse duces.
Stabat et adversis crepitans discordia rixis
obstabat geminos jungere velle duces.

Hæc cupit, hæc renuit, verbis hæc pugnat et illa,
illa diu voluit, noluit illa diu.
Ut faciles ambo tandem placidique coierent,
illa volens cupidam junxit et illa manum.

(3) In fusum Tyllidis exercitum.
S. Sylv. III, 2.

(4) Clades, ut vocant, ligistica.

Et poterat tanti sic sterni roboris hostis,
qui populis nudo nomine terror erat?
Dicite Teutonici victores atque Latini,
an strages famæ par fuit una meæ?
Quanto major erat nequam truculentia Martis,
hoc merui titulo nobiliore cani.
Non ego primævas æquavero sanguine palmas,
plus meus in reprobos, quam mucro, terror agit.

(5) Rex fortissime pugnans.

Qui sua Tylliacis ructabat classica turmis:
Vicimus, o socii! forte Gradivus ait.
Audiit et medios pronus rex ivit in hostes
atque suis contra candida signa dedit.
Vidit ut, ut tremuit vertentibus obvius armis
Marspiter. Huc, socii! clamitat atque fugit.
Sic victor victus, victus sic victor abivit;
dedecus hinc victor, præmia victus habet.

(6) Laudes Gustavi Adolphi.
S. Sylv. III, 4.

(7) Germania.

Est ita! Divinæ non emanet ultio dextræ,
stat revolubilibus sors fugitiva rotis.
tot sum mœsta dies, tot languida vulneror annos,
nec potuit nostri quem miserere mali.
Nunc relevor veteresque sinunt sub corde dolores,
autor et intentum jam mihi vulnus habet.
Quam bene, quam juste, quam non sine numine factum!
Quam mihi non poteram, fert mihi Suecus opem!

Deutschland.

Ja freilich ist es so, Gott läst nichts ungerochen,
das glatte Glücke steht auf einem leichten Rad;
so lange bin ich krank, so, so alt ist mein Schad.
Und niemand hat mir Trost im minsten zugesprochen.
Kein Beileit war umb mich. Itzt, fühl' ich, läst nicht wenig
der alte Schmerze nach. Der nach mir zielt' auf Blut,
hat nun die Wunde selbst. Wie wol! wie recht! wie gut!
Kan ich mir helfen nicht, so hilft mir jener König.

(8) Merseburgum.

Illa ego prima truces peregrini passa furores
militis in regno, Saxo verende, tuo.
Quæ mihi tam crudam turbavit Tyllidis iram,
caussa patet, si vis noscere, sacra fui.
Sic nocet integritas sanctique faventia recti,
heu! fuit exitio nil meruisse mihi!
Prima fui, quæ fracta minis hostilibus hisco,
sed quoque, quæ redeo libera, prima fui.

Merseburg.

Des frembden Feindes Grimm in dem Churfürstenthumb
hab' ich zuerst gefühlt; das ist mein erster Rhumb.
Wil jemand wißen denn, warümb ich ward gestöret?
Weil ich auch habe mitt' ins Geistliche gehöret.
Ich war ein reicher Stift. Von wegen Frömmigkeit
und daß ich nichts verbührt, geschach mir dieses Leid.
Ich stehe fornen an, was uns der Feind entnommen,
doch bin ich auch zu erst ins Freie wieder kommen.

(9) Hala Saxonum.

Sex ego continuos iram fero Cæsaris annos,
nec potuit tanti terminus esse mali.
Interea varie quam spe diludor inani!
Quam mea sunt lubricis vota beata deis!
Ut conata meæ sum consuluisse saluti,
inde fui gravius ferre coacta jugum.

Jamque jacent vires et jam despero salutem,
asseror externa libera facta manu.

(10) Magdeburgum.

Passa torum, non passa virum, de nocte triumfo,
quæ suprema meæ visa pudicitiæ.
Visa fuit, sed visa fuit, non læsa reveni.
Quei pote, virgineum jus violare senem?
Jam mihi solicubæ redeunt cum tempore lunæ,
dum meus ex merito vulnera raptor habet.
Non mihi dedecori subigi potuisse. Perennat
laudes innocuam posse redire meas.

(11) Lipsia.

Qui modo se nudæ jactabat nubere sponsæ
atque indotato concubuisse toro,
Lipsia, restitues, ait, hujus tædia damni,
hinc veniet dominæ dos sat opima meæ.
Dixerat et voti plenus veniebat habendi,
jam procus ipse tamen nudus inopsque fugit.
Nunc redit atque, o si, dicit, mea nupta maneres,
pauperiem reprobo nullus, amata, tuam.

Von dem ergebenen und wieder abgenommenen Leipzig.

Der newlich sich vermaß, er habe sich vertrawt
nur einer nacketen und unbegabten Braut,
sprach: Leipzig sol mir schon den Mangel bald ersetzen,
daran wir Liebenden uns wollen wol ergetzen,
kam drauf Begierde voll und meint', er hett' es schon.
Itzt fleucht der Freiersmann selbst bloß und arm darvon;
nun läuft er zu ihr zu und spricht: Ich wil sonst keine;
ich würfe dir nichts vor, bliebst du nur, Arme, meine.

(12) Ad Joannem Georgium ode.

S. Sylv. III, 3.

(13) Sub adventum electoris Lipsiam.

Mœsta sub urbanis stabat Philyrea caminis,
exitiabilibus fumida meta globis.

Magnum erat horribili circumvallarier hoste,
magnum erat in propriis velle perire pyris,
magnum erat infenso cogi dare mœnia Marti,
majus erat domino posse carere suo.
Ingemuere sales, madidi flevere cachinni,
in lachrymis navit risus et ipse suis.
Jam dum pertuso rediisti victor ab hoste,
visis et ad famulæ mœnia chara tuæ,
dememinere sui plaudentia gaudia luctus
et negitant lepidi se lacrymasse joci.
Depreciat fassum genius, se judice, damnum,
audet et expressos dissimulare rogos.
Te reduce, princeps, quis non lætetur ovali?
Si salit excidium, gaudet et ipse dolor.

(14) In symbolum electoris.

Mille mihi intentent præsenti fulmine mortes,
hæresis, invidia, Marspiter, induferi.
Sto, feriant! Non curo pili, non æstimo stloppi.
Christus enim vitæ meta scopusque meæ.

(15) In aurum effigie regis donatum.

Hæc sunt ista tui, Germania, vindicis ora,
vultus hic Augusti debuit esse tui.
Nil heic non regale vides, non Cæsare dignum.
Quis neget, heic auro vilius esse nihil?

(16) In eumdem ad vivum depictum.

Post unum, Germane, tuum, tuus est deus alter,
quem viva pictum cernis ab effigie.
Hunc veniens prono venerare supinus honore
atque abiens aliquem dic tuitum esse deum.

(17) In eumdem cingulo tenus æri insculptum.

Adspice dimidio surgentem corpore regem,
quem penes auxilium, Teuto, stat omne tuum.

*

13. 7 ingemuer Dr.

Integer haut poterat tam curto schemate scalpi.
Si cupies totum cernere, mundus habet.

Auf Ihrer Königl. May. Bildnüss, so biß zur Gürtelstette in Kupfer gegraben.

Schaw diesen König an, doch nur in halbem Bilde,
der, Deutscher, gegen dich mit Hülfe so ist milde.
Ihn hat der schmale Raum nur halb hier vorgestellt;
wilst du ihn sehen ganz, so schawe durch die Welt.

(18) Sub effigie electoris.

Martia Mauricii, Friderici bellica virtus,
fulgurat ex oculis, Jane George, tuis.
Quam si, ceu facie, plenis imitabere factis,
tunc mihi Mauricius, tunc Fridericus eris.
Sed facis et primis propriam virtutibus æquas,
fortibus o proavis fortior une tuis!

(19) In regem victoriosissimum.

Subdita cur famulis regem Bellona triumfis
obruit? Horroris desine; Belga fuit.

(20) In domum vespillonis ominose Tylli se contulerat.

Iverat ignarus modo vespillonis in ædes
Tyllius, ut Phyliram vellet habere suam.
Intremuere patres, vicinum stare tyrannum,
et tam contiguo mœnibus esse loco.
Non venit, ut noceat, dixi; confidite, cives,
conductum forsan propria busta venit.

(21) In seriem cupediarum exponendarum, urbi immissam.

Plurima poscebat largo bellaria censu
Tylliades Phyliro contribuenda penu.
Vesper erat poteratque rei nil talis haberi;
cras feret ex voto cuncta, senatus ait.
Mane novo vicina tonat dux classica verna,
cogit et ad crudam Tyllida Saxo dapem.

Ferrea contentus putavit fercula Tylli.
Lipsia, nam satur est, mattia conde tua.

(22) In enses decussatos, stemma electoris optimi.

Fidus Amor patriæ geminos conspexerat enses,
quos gravis in celebri vellere Saxo gerit.
Et quid nuda valent, dextra sine vindice, ferra?
Quis vetat? Arbitrii sint, ait, illa mei.
Mox capulum deus armipotens prendebat utrumque
atque suum tenuit dextra, sinistra suum.
His mihi fœdifragum subdam mucronibus ævum.
Sic ait et prima Tyllida stravit humo.

(23) In regem gloriosissimum.

Certabant nivei nuper de rege sodales,
plenus amoris honor, plenus honoris amor.
Hic, meus est, ait ille, meus; ferit aera rumor;
dumque meus triplicant est, ait aura, meus.
Conticuere dei celeresque sub astra levati;
est tuus, inquit amor, est tuus, inquit honor.
At magis est, ait aura, meus citiusque profatu,
distulit in gemino principis orbe decus.

(24) De landgravio Hassiæ bene rem gerente.

Dum cadit et totis disjectus viribus ora
Tylliades Misa, nec bene sanus, abit,
interea tacito proserpit robore Cattus,
asserit et patrios non sine laude deos.
Pergite Fuggerides, infames pergite turmæ.
Qui vos, ceu Saxo Tyllida, sternet, adest.

(25) In effigiem regis.

Talis Adolphus erat, duce quo Germania sumsit
scissa decus, pacem turbida, falsa fidem.

(26) De ruta, stemmate electoris.

Sederat in viridi mater Victoria campo,
qua piger ad Philyra Plissa roseta migrat.

Pone triumfantis veniebat turba catervæ,
quæ mare Tylliacos fuderat ense globos.
Cuilibet emeriti decernebantur honores,
cuilibet et datus est ruteus inde stolo.
Ipsaque rutatis teniis redimita capronas
dicitur et ramum diva vibrasse manu.
Tunc flevisse ferunt, victricia nomina, lauros,
tunc palmas pluviis ingemuisse comis
et plorasse deæ: »Miseræ, sic spernimur a te?
Hei! fugit a nostro palmite priscus honor!«
mox audisse deam, querulas mutasse sorores
et rutæ titulos imposuisse novos.
Sic pronum sinuasse caput contraxeque truncum
fertur et arbor humi nana stetisse frutex.
Jam nova victricis notescet adorea rutæ,
dum palmæ et lauri nobile munus obit.
Quaque per ingentem regnat Victoria mundum,
vincenti tribuet rutea serta, ferunt.
Quis tibi non bene, ruta, velit, si gloria prisca
deponit stirpi seque suumque tuo?

(27) In leones et coronas, stemma regis.

Et quid est animosius leone?
Quid fulvo pretiosius metallo?
Quid præstantius elegantiusque
his junctis poterit duobus esse?
At robustius expolitiusque
Sueco vellere nil potest haberi.
Hoc aurum gerit et gerit leonem,
auro prævalet, imperat leone.
Uno dimicat, altero gubernat.
Forsan vellera delicatiora,
raro vellera sumtuosiora,
numquam vellera fortiora cernes.

(28) In insignia electoris.

Dum vigiles aliis versant sua pectora curæ,
quei valeant reprobos imminuisse globos,

stemma malos tibi, Saxo, domat, leo corripit hostem,
ruta ligat, claudit cassida, mucro necat.

(29) In leones ensiferos, stemma regis et electoris.

Viderat in clypeo Suecus leo Saxones fratres,
quos tamen ad pugnas nullus habebat amor.
Assilit et forti nudum quatit ungue decussem,
quo pater elector Saxo vocandus erat.
Et quia vox deerat, præibat murmure segnes
perque solum binis ferra vibranda dabat.
Præsule sic monstrante viam fremuere sequentes.
Væ quibus iratas contigit esse feras!

(30) In tres coronas, stemma regis.

Nam quæ triga nitens adoreorum,
scintillantibus hinc et hinc pyropis
et gemmantibus hinc et inde baccis,
in auri radiantis ardet igne?
Nempe triga flagrans adoreorum
Suecæ gloria fertur esse ceræ.
Non sic tergemina corusca classe
summi tempora præsidis sacrata
puris præradiat corona flammis.
Non sic Cæsareum refulget aurum,
non tali cupido tributa censu
exsolvunt Arabi fluenta gemmas.
Non tantos legit Ormus uniones.
Non tam dives aquis rubris metallum
Pactolusve Tagusve Duriusve
aut Ganges locuples feraxque Bætis
aut flavus vehit Hermus aut Hydaspes.
Non gazas similes tegit favissis
dives Americe Peruvianis.
Illis divitiis adoreisque
usquam par nihil est, nihil secundum,

*

29. 1 Saxone Dr.

velut par nihil est, nihil secundum
hæredi triplicis duci coronæ.
Phœbus sufficit unicus diei,
trinum uni diadema vix Adolpho.

(31) De dato Plissenburgo.

Quid, væsana cohors, capto de robore gaudes?
Non capis, ut capias; ut capiare, capis.

(32) Super visa imagine Tyllidis.

Tantus eras poterasque loco mansisse sublimi
et clarus fausti laudibus esse ducis.
Ast cum securus fati ambitiosior ires,
disruit ex merito te mala caussa tuo.
I nunc, nec posthac Germanos vincere coge,
fallere vel si vis, falle, Boheme, tuos.

(33) Ad Batavos.

Vivite, Cattorum soboles, jo vivite, Belgæ!
Grata solet fratri fratre venire salus.
Non male congruimus factis. Hostilia fausti
vincitis arma salo, vincimus arma solo.

(34) In leonem ensiferum, qui super armis stans, tres coronas tuetur. Stemma regis. Scazon.

Hic imperator summus ille brutorum,
qui Martias audax obambulabat prædas,
cetrasque thoracasque et evaginatas
securibus plantis acinaces calcat
pandoque fauce, dentibus renudatus,
luctante lingua, fluctuantibus villis,
et, ungue rectus duplici, coronati
umbonis adstat irretortus assertor
vultumque jactat evibratque romphæam,
in perduelles fulminans duellator.

*

34. 6 siuctantibus Dr. 10 fulmiuans Dr.

Non ille crates circuire balantes
famelicosus esuritor assuevit,
non innocentes fraudulentus invasit
latro feras, non otiator infamis
Getula segni pressit ungue spelæa,
ignotus orbi, non tamen capi passus
et hinc et inde fageo vehi clathro
saltator audit ludius theatrorum,
mirantis et pugil jocosus orchestræ.
Sed Marte fama compotitus et regno
infractus Arctoas migravit in ceras,
Danisque terror Sarmatisque Moschisque,
magno tuetur Scandiana Gustavo
mucrone sceptra. Jamque, provido cœlo,
severus ille veritatis Augustæ
Tutanus infulæque parma Lutheræ,
juvamen orbi cœpit esse Germano.
Tot rura, vicos, castra civitatesque
prædone vindicavit a cathedrali,
injuriæ timendus ultor illatæ,
trucesque serio phalangas aggressus
adoriosus dispulit triumfator
pergitque torvus acriusque victore
flagellat ense synciput Liburnorum
ingloriique versa terga Taurisci.
Ut dum cruentus instat, igneo vultu,
trementibus toris, juba reluctante,
per et resibilantis areas auræ
et intremiscens pensilis latus terræ
minax furente miles ense bacchatur,
quis jure quærat, an tuebitur sceptrum
birostris ales an leone jam victa est?

(35) De symbola regis. Cum Deo et victricibus armis.

Cum Deo victricibusque faustus armis prælior.
Pro Deoque, pro fideque me meumque deputo.

*

20 compotius Dr.

State, fœdirupiones, omnium mortalium,
quot fuere, sunt eruntve, state, postremissimi.
State, state! Dimicemus! Experiri jam licet,
an sit extra præliantis territorium Dei,
an sit extra nostra castra sors, salus, victoria.
State, nequam! præliemur! jactitemus aleam!
Sic ait rex Tyllianis torvus ira copiis
moxque bellatura jusso signa movit classico,
moxque sensit ejus esse symbolum valentiæ.

(36) De capta Erphordia.

Non capitur, capitur quæ Erphordia, libera sed fit.
Non fuit ante, puta, libera, capta fuit.

(37) De Tyllide transfuga ad Halberstadium, ab eo obsidione liberatum.

Liberat, ut fugiat; lenis vult inde videri.
Crede, nisi fugeret, libera nulla fores.

(38) In effigiem Finnonis.

Sum Scritofinnus ego, gelidam bene notus ad Arcton,
jam quoque Teutonicis non male notus agris.
Me timidus refugit, vel solo nomine, Carnus.
Staret et assererem nomen acinacibus.

(39) In effigiem Lapponis.

Lappionem, spectator, habes, quem vota Liburni
terrigenas nunquam progenuisse velint.

(40) In cladem æri dandam, ut datam.

Fatales acies et inextricabile damnum
militis Ausonii, dispice, posteritas.
Heic veteres sensit redivivis Teutonas armis;
prodigus heic Sueones sanguinis esse deos.

(41) Ad Pacem pro Misnia Ode.
S. Sylv. III, 5.

*

(38) 1 Stiofinnus Dr.

9. Ad Johannem Michaelis D. sponsum.

1631. Nov.

S. Manes Gloger l. III, 6.

10. Aliud nuptiale. Omnipotens Amor.

Et quid Amore vacat, quæ non hoc numine plena
rimula? Cunctipotens regnat ubique puer.
Dicite, plumipedes, examina muta natantum,
dicite, nos socio fœdere jungit Amor.
Hinc homines dedicere faceis, hinc mutua cœpit
flamma, per æternas non peritura viceis,
inque suos medio sentiscit villicus igneis
rure, nec ingrato rustica torre flagrat.
Lascivire videns mœchos cum matribus hœdos
atque salax misto jure coire pecu,
ipse suæ prælux sit flammæ pastor et inde
cum socia sociam vult aluisse facem.
Primus Amor ruralis erat, mox alta subibat
mœnia, purpureos nec metuebat heros.
Jam regit omne solum, totum hoc famulatur Amori,
vincere quod non par Marspiter unus erat.
Sacra, sacer veneratur Amor quo sanctius est quid,
hoc propius gaudet Cypripor ire comes.
Credite, theologos medias arsisse per aras
vidimus et sacras sustinuisse faceis.
Instar testis eris, nostræ jubar omne cathedræ,
dum te tam blando jure maritat Amor.
Et quei non tibi blandus Amor? Fabram tibi jungis:
ipsus ab hoc ortum stemmate ducit Amor.

11. Ad Reginam Opt. Max.

1631. Dec. 16.

Inclyta dux, Brennosata stemmate, regia conjunx,
hactenus Arctois, nunc quoque noster bonus,
quod tuus Ositias tibi rex aperiverit oras,
Veneris et Philyros jam tuitura Lares:

urbs tibi tota vacat missa cum plebe videnda
et stupet ad tantum Lipsia prona decus.
Solus ego torpesco domi. Quid, diva, videret,
lacryma quem longis exoculavit aquis?
At tibi, dum nostros non negligis omnis honores,
sidera dent nitidos, regia nympha, dies.

Majtis. tuæ humillimus P. F.

12. Epithalamium Nobili Et Amplissimo Viro Hieremiæ Æschelio, Com. Pal. Cæsar. L. L. B. B. A Schœnburg: Consiliario Ac Capitaneo in Wechselburgo, Et Elegantissimæ Virgini Annæ Sibillæ Sitsmanæ, Donatum A M. Paullo Flemingo P. L. C. C. MDCXXXIII.

1633. August.

Dedicatorium Sponso V. N. & Consultiss.

Debitus ad thalamum noster tibi servit Apollo,
et leve, sed fœlix, admodulatur epos,
ille memor studii veteris, quum tempore primo
staret inornatis ad tua tecta comis.
Tu decus et magnis debentia vatibus athla,
laurea de sancto stipite serta dabas.
Hæc in crine videns: ea non mihi militat, inquit
Ida; decet cultus ista corona meos.
Et dedit hanc. Hinc prima comis tua demsit Apollo
et pro laureolis myrtea serta gerit.
Utraque sed poteras hodierno ferre poetæ;
laurea serta comes, myrtea sponsus habes.
Sic tibi confundunt agnati nomina frondes;
laurea myrtus, item myrtea laurus erit.
Tam lætas probat ipsa vices Cytherea canitque:
Lauree vive comes, myrtee sponse vale!

Lipsiæ d. IV. Non. Sextil.

Sidera, queis hominum data non fallenda potestas,
mitius excelsa profundunt lumen ab aula
et veteres posuere minas. Tandem astra renident

per calidas placata preces. Nec thuris honores,
nec lustrata sacro toties libamina fonte
in cassos accensa Nothos abiere. Querelæ
seriaque effractas rupere vocamina nubes
nec surdis sunt missa deis: bis libera Marte,
bis mea victrices monstravit Misnia pompas,
nec veteres sinit ire pares. Gaudete, juventus,
et patriæ ridete nurus; repetuntur amores.
Vindicat interitum, quod tam malus invidet hostis.
Ridet Hymen, Cytherea salit, lætantur Amores.
Viderat ad proni vexilla ruentia Martis
Saxonicos trepidare viros Amathuntia mater
atque suo migrare loco. Vacuatur alumnis
Misnia jam depleta suis. Fugit incola pagis
et rari pallent per inania mœnia cives.
Cum patribus nati, natæ cum matribus absunt.
Quisque suo sibi calce cavet, dum mentibus hærent
fixa, sub hoste sibi quæ sint affecta priore.
Et facto vix annus abest. Majora timentur.
Jam vitæ fuga sola patet. Dea, prævia Marti,
alitibus provecta suis, per Misnidos oras,
per totam cito fertur humum, visura, quid obstet,
quo minus immaneant, et solatura paventes.
Jam Philyræ vicina parens dea substitit urbi,
quam patriam velit esse Cyprum, propiusque morata,
diffluere insano totam videt ægra tremore.
Pars timidum pede carpit iter, pars tristibus instat
curribus acceleratque fugam, jam certa per omnes,
qua datur, ire vias, aut quas gravis imperet horror.
Sic ubi fatalem conspexerit eminus hostem,
lanigerum tremit omne pecu paullumque moratur,
quod subitus pavor obstiterat; cito dissilit inde;
et vel anhelanti vicina cubilia cursu
impetit, aut primo nemoris se condit in antro.
Quo fugiant, ratione caret, ruit orba juventus,
jam patribus non cura suis, incurva senectus
insequitur, quacunque potest, caret ordine fatum,
nec cogens ulla tardatur lege necessum.

Et jam tota suis fuerat viduata puellis
Lipsia, nec pulcrum, quod jam monstraret, habebat;
cum seram captura fugam de millibus una
adstat et excessum pronis indicit amicis.
Hæc, quamvis teneros undanti tegmine vultus
aureolumque peplo sepeliverat undique crinem,
cuncta profecturæ similis, tamen aureus oris
divini prolucet honor vana sub apertæ
sindonis invidia, qualem vix tenuius ullam
e fibris net arachna suis. Sic, nocte serena,
rara soporoso nubes obvelat amictu
et tacitæ tegit ora deæ, cum cornibus astrum
alba rubens coiit plenoque rotatur in orbe,
nescia tota premi, blandos intermicat ignes
fuscula, nec cunctum vult abdere Delia vultum.
Hanc dea conspiciens, fatum miserata puellæ,
imperium lachrymis dabat, at quam debile! pronis.
Divinæ maduere genæ. »Quid, Jupiter, ergo
non poteramus,« ait, »nostra timuisse sub aula,
si pulcrum nihil esse juvat? Nos fallimur ultro.
Nil facit ad minimam, licet integra, forma salutem.
Nec tutæ licet esse mihi, credetis, amicæ,
talia si pallere facit furor improbus ora?
Non patiar. Capit illa fugam. Matura reducam,
si superis quid posse licet.« Sic fata, jugales
increpat et teretem trudit per inania myrtum,
et Martem complexa: »quid, o! quid, amice, moraris
hoc,« ait, »emigrare solo? quæ caussa furorem
impulit, ut tantas ferus armareris in iras?
Nil tibi peccatum est et habent sua numina pugnæ.
Ne nimium confide tibi. Nisi justa supersit
caussa, per imbellem miles cadit acrior hostem.
Prisca tibi, metuo, repetat ne vincula fatum.
Alter adhuc Ephialtus adest, nec deficit Otus.
Vincendus quoque victor erat. Potes, inclyte, quondam
fœmineæ meminisse manus, ubi gnara duelli
sterneret in longam Saxo te Pallas arenam.
Non mulier tibi bella geret. Si credimus extis,

nescio, quid lævi turbatus musset aruspex.
Cede, rogo, rogo, cede loco. Vocat aura Novembris
nos alio. Nec vana olim timuisse putabis.«
Ille fidem dubius monitoribus addere verbis
tardat opus. Mox ultor adest. Pugnatur; ut acer
ante, levis subito nunc miles vulneris ictu
concidit et campos humeris metitur apertos.
Non aliter cinctæ quondam prope mœnia Trojæ
prostratum videre Phryges Diomedis ab hasta,
saucius a cæso cum vulnere venter hiaret
terreretque gravi late tentoria voce.
Fit fragor armorum. Retro pudibunda moventur
infami vexilla manu. Vix ipse levatus
ductor abit; sequitur memor omni dedecus ævo.
Libera sic iterum luxatos collocat artus
Misnia dispersosque nimis vocat undique cives.
Interea quoque Nympha redit, redit aurea Nympha,
matris serus amor, dulcissima cura Cytheræ.
Tunc Venus in pleno superum veneranda senatu
considet et toti taciturna silentia cœlo
innuit et sic verba facit: »Concedite, divi,
ut vobis, sed pauca, loquar. Nam vestra putanda est
cura, quod injustas vicit pia Misnia turbas
et patrios est ulta Deos. Jam naviger Albis,
cujus inerme latus pronæ timuere phalanges
et retro cepere fugam, victricia pandit
brachia et auratis innectit cornua sertis.
Pax redit et cum pace novo decor aureus anno.
Imprimis qua Mulda pater fumantibus undis
dividit objectum nemus atque licentior errat
per virides campos, per opacæ jugera Schildæ
majoremque rotat factus jam grandior alveum,
late ridet humus, crebras vicinia villas
prodit et in pagos sese diffundit opimos.
Tutus ab hoste locus, nec enim procul abfuit ille.
Magnanimus sed præses erat, cui fervor agrestis,
flexus in obsequium, ferales distulit ignes.
Mitior eloquio tam fidi præsulis hostis

facundo concessit hero totiesque repressit
arma, nec in miseros, hoc avertente, furebat.
Ipsamet hos hominis vidi mirata labores,
quos tulit in patriam. Quid enim superare putarem,
hoc sine si fuerat? Præsens ait omne, salutem
hujus ope crevisse suam. Jam præsidet aulæ
grandis amor domini; leges jam dividit orbi
juraque composito placidissima temperat ævo.
Ferte, patres, huic digna viro totumque, quod oro,
imperio donate meo. Jam provida vidi,
solamen sibi quale velit.« Rupere loquentis
verba dei nutuque, simul plausuque probabant.
Mox dea de medio puerum legit agmine, vultu
præstantem reliquis, facibusque et vulnere certum.
Hic quoque divino quondam violaverat arcu
Aeschelium, facies dum miraretur Halenses,
et nimium tum læsus erat. Cui protinus Ida:
»Heus,« ait, »Æschelium, puer, has cito quære per oras
et certa pete pectus acu, seu Molda Variscus
cyaneis hunc mulcet aquis lætusque vagatur,
seu novus augusta residet dictator in arce,
et populum sermone trahit, seu quicquid ubique
publicus aut privatus agit.« Sic dixerat illa.
Ille volat misso citior per inania telo,
visurus, quos ante Lares bene noverat, ales,
Aeschelii lustratque domum. Sedet ille supinus
atque manu recline caput suffulcit utraque.
Volverat amissi felices temporis horas
præsul et illius placidissima munera vitæ
et secum, sed mutus, ait: »Quam nescius horum
et pacis securus eram, dum blanda liceret
inter amatrices consumere molliter ulnas
otia, nec quid triste queri. Si, mitia nuptis
numina, sincero semper vos pectore movi,
quo viduum potuisse thorum meruisse putabor?«
Jamque recurrebant felicia conjugis ora

*

120 homines Dr.

et lepor et primæ dulcissima gaudia noctis,
cujus adhuc quoque pignus habet. Jam pectus amores
subsensit sibi velle novos, cum protinus ales:
»Esto; novas tibi sume faces« ait atque remisso
creber in expositum sua tela cor injicit arcu.
Nil unum nisi vulnus erat, nec vulnus id unum;
quæque secuturas eructat rimula flammas.
Suave dolet vulnus, flagrant sed dulcius ignes.
Nec doluisse dolor, nec flamma nocere putatur.
Saucius ipse, tamen ridet, probat aucta dolore
gaudia, nec fatum, fœlix sibi, mitius optat.
Incipit hinc tædere virum; quodcunque gubernat
consilio, non primus agit. Non Cæsaris aula,
non solitus gravitatis honor, nec purpura juris,
nec Schönburgiacæ sibi credita cura salutis
ingenium sensere prius. Studet, imperat, urget,
dimidia modo mente facit, languescit eundo,
ille animus vasti spatiosior hospes olympi
terrarumque capax doctrinarumque tot ingens
patria, jam sibi fit miser ipse domesticus exul.
Miserat interea quemdam quoque Cypris Amorum.
Hic rudior facis est, feriente nec acer in arcu,
qualibus ad primos, dum suscitat, utitur ignes,
quum velut obscuro simplex monitore puella
incipit haut male velle viris. Hic debile cornu
molliter adducto sinuabat pollice filo,
extentans totas imbelli in vulnere vires,
et dominæ cor lædit item. Mucro cuspidis hæret
et natat in summo male fixum pectore telum.
At simul Æschelius, languenti saucius æstu,
nescius ipse sui, nec habens, quo mite reposcat
pectoris auxilium, majori læsus ab arcu,
advehit; illa videt; videt ille movetque favillas
vultus et afflatæ verbis tepuere medullæ.
Adjuvit dilecta manus, quæ labile ferrum
fortius, invalidus pueri quam nervus Amoris
fixerat, in penitum formosæ pectus adegit.
Jam victus fervore pudor sua vincula rumpit

et nudus se prodit amor. Non cessat uterque
angores aperire suos totasque per ædes
formosi duplicis celebrantur pectoris ignes.
O quam non vulgaris amor, quem miscuit æther,
quem non humanæ jusserunt currere mentes!
Ille diu viduus, thalamo desuetus et æger
igne novo, jam sana trahit novus otia sponsus;
otia si dicendus amor. Lætatur amicam
invenisse sibi, sterilis cui tædia vitæ
atque recens vulnus cupidis enarret in ulnis.
Sic tener Andromedam Perseus amplexus, aperto
virginis in gremio calidos recitavit amores.
Taliter Alcides, dulcem quum viseret Hebem,
inter adhærentes retulit sua prælia nexus.
Ipsa verecundæ mater lætissima prolis
fert socero bona verba novo. Gratantur amici,
læta domus strepit officiis. Nunc, aurea, prodi,
prodi formosæ formosa parentis imago,
o decus Ositiæ multum venerabile pubis,
huc matris te vota vocant. Pulcerrima, prodi,
dilecti te verba volunt. Cape pignus amoris,
tali digna viro. Tibi pronubus adstitit æther
optatamque diu jam protulit Hesperus horam.
Quis nunc, Æscheli, præ te felicior alter?
Fortunata dies, quæ te e discrimine tanto
eripit et dubio nubentem subtrahit ævo.
Jam sortes agnosce tuas, nec differ in horas
mollia quæ teneris debentur gaudia nuptis.
Invidiam tibi nempe facis, si segnior instas
et te non toti indulges effusus amori.
Illa decus generis, facies pulcerrima rerum,
amplexus petet una tuos. Dabit oscula soli
et sperata diu multis tibi gaudia pandet.
Fœlix conjugium! Quid enim voveamus amici,
quod non aura favens jam præpediisse videtur?
Quod superest, primo, nec desperamus, in anno

*

216 te discrimine Dr.

fœcundate torum. Patrio succrescat honori
æmulus et similis materni sanguinis hæres.

13. Ad illustriss. Ducis Holsatiæ Legatos Odæ Germanicæ Dedicatio.

1633. Oct.

Hæc ea sunt, regum sacra cura, clientis,
quæ pia pro vestra vota salute facit.
Ac quamvis meliore queant hæc carmine condi,
his majora tamen nemo vovere potest.
Quæ bona Christiadæ Vobis abeuntibus optant,
illa, sed in parvo carmine, magna loquor.
Sumite, dum sacri puter esse vicarius orbis.
Non alio poterat scilicet ore loqui.

14. Propempticum, Hartmanno Gramanno, Medico, scriptum Revaliæ MDCXXXV.

1635. Mai.

Experientissimo utriusque Medicinæ Practico Dn. Hartmanno Gramanno, p. t. Magnæ Legationis Moscoviticæ Persicæque Medico Ordinario, Mox Magni Russiæ Imperatoris Archiatro, M. P. Flemingus, Fœlicem Germaniam versus Abitum Reditumque precor.

I, comes, et pinguem revide vetus accola Salam;
sed quoque dic patriæ dulcia verba meæ.
Hæc, velut unitis socios discedere dextris
vidit, ad hunc reduces nos putat esse modum.
Sed charæ mea verba refer: Tuus ille, quod optas,
vivit, at in reditu signa morantis habet.
I, comes, at sine me facilique revertere fato,
et nova lætitiæ sis mihi caussa novæ.

Scr. Revaliæ XII. Kal. Junias, MDCXXXV.

PAULI FLEMINGI

MANES GLOGERIANI.

AD ILLUSTREM VIRUM

AUGUSTUM BUCHNERUM.

Incomparabili Et Summæ Famæ Viro Augusto Buchnero In Celeberrima Witebergensi Doctori Publico Rhetori Et Poetæ Seculi Primario Devoti Affectus Tabulam Hanc Ipsam Manes Meos Glogerianos In Publico Orbis Theatro Suspendo Paulus Flemingus Inclyti Viri Virtutum Mirator.

MANIUM GLOGERIANORUM

LIBER I,

IN QUO

AMORES.

Venerabili Et Sancto Patri Reinero Brocmanno, Tristferensium In Viria Livoniæ Episcopo, Pie Docto, Docte Pio Mutui Amoris Monumentum Candidæ Illius Animæ Desiderantissimus Erigo Paulus Flemingus.

MANIUM GLOGERIANORUM I.

1. Ad Librum Hunc.

I, liber, et dubii constans pete limina mundi,
judicis et famæ lucida tecta subi.
Dissona diversæ de te bibe nomina linguæ,
dum populi lusus prætereuntis eris.
Improbus audaces vulgus male scindet amores
et nimis effusi molle favoris opus.
Displiceas mundo, placeas modo lenibus astris.
Judicium rutilant sidera; terra, tace.

2. In annulum incisum.

1630. April 23.

AMOREM quem per hoc levidense per utrumque me Meo Glogero Flemingus mea, h. e. bona fide æternum voveo. Signab. Lips. MDCXXX. Ipso nominali D. Georgi.

3. In vitro Veneto.

1631. Juni 12.

In Ipsa Fragilitate Durantissimum Affectum Georgio Glogero Paulus Flemingus Amicus Amico Unus Uni Manu Magis Animo Obsigno. Lips. Proprid. Eid. Junias MDCXXXI.

4. Omnium Rerum Vicissitudo.

Terent. Eunuch. Act. II. Sc. 2. Symb. J. G. Schilachi M.

Quærebam, cunctis an sit Constantia rebus,
dum mihi plana suum machina pandit opus.
Mirabar mundum; fors hic sine clade maneret,
ast, Amor, igne tamen nil erit omnis, ait.
Regna, voluptates, homines, miracula crevi
invenique suas omnibus esse vices.

Omnia quærebam vidique ex omnibus unum:
quis credat? — Levitas non vaga sola fuit.

5. Idem Aliter.

Omnia per totum quæ sunt exstantia mundum
ante meos oculos jussus adegit Amor.
Omnia quærebam, sed erat nec in omnibus unum,
quod non alterna mobile sorte foret.
Phœbus ait: »Pereo.« Polus hoc, hoc et astra fatentur.
Terra, salum, tempus, regna loquuntur idem.
Unica præ reliquis tulit Inconstantia palmam.
Firma sua levitas in levitate manet.

6. Idem iterum aliter.

Pulcer in erecto statuit me monte Cupido,
qua patet ingentis visio plena poli.
»Quos, Amor, æternos«, dixi, »mihi detegis orbes,
hoc opus haut ipsi mobile credo Deo.«
Ille manu cœlum leviter tundens, pede terram,
ilicet in celeres egit utrumque rotas.
»Et si tam facili vertigine tanta vacillant,
quas«, ait, »haud subeant corpora parva moras?«

7. Inter medias preces deficienti.

Jamque preces, jam vota sinunt, jam lingua remisit
et pia sub media stant labra panda nece.
Quam moritur fœlix animam, cui numine plenam
fusilis assiduæ provehit aura precis.
Quis negat, arentis dum deficit halitus oris
ultimus, in primum mens migrat acta polum.
Omnia sunt præsto, gemitus, jumenta precesque,
rheda fides, calcar spes bona, vector amor.

8. Homo Bulla.

Forte liquata cava commiscens smegmata testa
plurimus in denso stabat agone puer.

*

7. 3 anima Hs. 8 rhedæ Hs.

Mox et arundineis lasciva canalibus ætas
ludenti vitreum flabat ab ore decus.
Rumpit hoc in primo, medio perit illud in usu,
omnis inanis erat bulla, nec ulla manens.
Cernis, Amor mihi, cernis, ait, tua nomina vitæ?
Bulla brevis, brevis es tu quoque lucis, homo.

9. Godofredo Guilielmio, Zachariæ Pœplero, Sill.

Dividor et ternos ex me sibi blanditer uno
omnipotens leni segmine findit Amor.
Prima mei, Gulielme, tibi, tibi, Chare, secunda
cedit et inde mei pars mihi sera manet.
Improbat hoc rude vulgus opus ridetque loquentem,
vatibus et mendax omne licere putat.
Nil regero. Qui me quondam duplicavit amico,
num minus is binis jam triplicarit Amor?

10. Super Symbolo Zach. Sommeri Sil.:

Patiendo vinco.

Scindebant me forte trucis convicia linguæ,
scindebam parili garrulitate reos.
Verba dabam danti, data verbere verbera lusi.
Ibat et alternis fervida rixa viis.
Sic ego. »Non sic« inquit Amor. »Victoria læso
non tam vincendo, quam patiendo venit.
Fer patiens et vince ferens: res fine probabit
vincere posse virum, vincere velle bonum.«

11. Natali Matthiæ Berlichi Ict.

Dum tibi natales monitus congrator amores,
cogit Amor gressus ferre, referre Pudor.
Hic movet, hic removet gressus, hic urget et ille,
ille suis acer motibus, ille suis.

*

10. Symbola Hs. 2 pari garrilitati Hs. 7 res lite Hs. 8 vincere vellere ... vincere nolle Hs. 11. 1 monitus gratarer Dr. 2 referre Timor Dr. 4 suis præstans viribus Dr.

Hic gladium vibrat, ille vibrat, certatur; Amoris
ferra Pudor, ludit ferra Pudoris Amor.
Ut tibi natales tandem gratarer amores,
marte Pudor cecidit, Marte redivit Amor.

12. Super Symbolo Pœpleri:

Ure Deus, ne uras.

Ure, Deus, Deus, ure tuis mea scrinia flammis,
vult mea divinus corda precentur Amor.
Mandat Amor, cor audit, hero cor paret Amori
prosiliensque suum clamat hoc ante Deum:
Ure, Deus, Deus, ure tuis mea scrinia flammis,
fiam sidereo victima grata rogo.
Fert properas Deus ipse faces, cor ardet et ipsum
ne flammæ possent urere, flamma fuit.

13. In Nominalem Joannis Prætorii Sil.

Ut tibi natalis solennia festa diei
gratarer gracili, mellee Jane, melo,
obtinuere suis vix dulcia nomina votis,
illa sodalitii nomina chara mei.
Obtinuere tamen. Tot Amor quid Amoribus unus
certet, amatrices non fugit ille preces.
Omnia sunt præsto, quibus hac te luce ligemus
fila fides, teniæ carmina, nodus amor.

14. De Symbolo Godofredi Guilielmi:

Nil dissociabile firmum.

Fastidire meos simulans Amor almus amores,
dum puto: jam, mihi jam se sociabit, abit.
Alme, fugis? fugis alme? queror. Amor, abdis Amorem.
Sunt, ait, ast apinæ quod lacrymere, meræ.

*

11. 5 vibrat, pugnatur Dr. 6 Timor ... Timoris Dr. 12. 3 parcet Dr. 13. 2 mellea Hs.

Et fugit. Et fugio. Qua pervolat, insequor; atque
ajo tenens, tamen hic me, puer ales, ales.
Ridet Amor perstatque volens. Fuge, diffuge, dico.
sed mihi caussa fuga, quo socieris, eris.

15. In Albo, cujus Symbolum:

Esto fidelis usque ad mortem et dabo tibi coronam vitæ.

Stabat Amor plantaque solum cœlumque sinistra
tundebat facilis pensile molis onus,
et lemniscatum dextra diadema propinans:
»Hoc erit hujus, ait, qui mihi fidus erit.«
Fida ero! clamabat Tellus; ero fidus! Olympus.
Nec diadema tamen illa, nec ille tulit.
Fors ego præteriens, quid ego si? suspirabam!
Ah! eris, ajebat et diadema dedit.

16. B. Glogeri Febris.

Caldor Amorque paris certant de munere palmæ,
morbidus ille Calor, ille polaris Amor.
Caldor ait: fixis expugno corpora flammis,
expugno facibus corpora, reddit Amor.
Plus, ait, evaleo vestris, Calor, acrior armis,
perdit et ignitis cor juvenile globis.
Ast ego plus, ait almus Amor, juvenem sublimans
mentem ego, tu cineres corporis, inquit, habes.

17. Vigiliæ B. Glogeri.

Flammeus ardentes juvenis calor obsidet artus;
inde faces tacitas igneus auget amor.
Seria sollicitos prohibent suspiria somnos,
at magis ætherii pellit amoris amor.
Nulla quies ægrum lato medicamine corpus
sublevat, insomni cedit amore quies.

*

15. 3 lemniscatam dextra monstrante coronam Dr. 6 vocans illa Dr. 8 sic diadema tuli Dr. 16. 7 juvenemque Hs.

Quei requiescat enim? Sopor aufugit, impedit ardor.
Intus amor vigilat, excubat extus amor.

18. B. Glogeri Scrinium.

Sanguinolenta meum raperent cum fata Glogerum,
it pius in primum sponte Cupido nemus.
Arbor adest et adest Empusæ præsto bipennis,
runcina, pendiculum, norma, terebra, lupus.
Hinc novus oblongam cito materiarius arcam
asciat et juvenem condere mandat ibi.
Ah! Amor, haut opus est hac functo, lacrymo, capsa;
capsa cor hoc fuerit, huc mihi conde meum.

19. B. Glogeri Bustum.

Lustrat Amor totum, tamen uno nomine, mundum,
(quid non omnipotens fingere possit Amor!)
canniferam vacuo pharetram suspenderat unco
proque suo palam tendine dextra tulit.
Frigida dum gelidi juvenis tumulabimus ossa,
di, monstrate locum, quo tumulemus, ait.
Audiit et celeri mihi prosiliit cor hiatu.
Dumque putaret humum, cor mihi fodit Amor.

20. De Symbolo Christenii.

Cuncta mihi Glogerus erat, dum carperet ævum,
sed tamen et Jesus tunc mihi cuncta fuit.
Audit et haut binos poteris tua dicere cuncta,
debueras uni fidere, dicit Amor.
Alme puer, non pecco, loquor. Mea cuncta Glogerus,
et mea cuncta mihi Jesus, uterque, fuit.
Glogerus mihi Jesus erat, dum carperet ævum.
Jesus Glogerus nunc mihi totus erit.

21. De Symbolo Possessoris:

Spes mea in Deo.

Spes mea post unum fueras, Glogere, Jehovam,
spes mihi post unum te mihi Jova fuit.

Quam bona, tum duplici spe, tempora faustus agebam!
Quam tunc ex omni parte beatus eram!
Jam fallit spes fisa sibi. Spes fisa Jehovæ
fallit et ambabus spebus inanis eo.
Ah mihi! quis mihi non ex hoc oggannit in aures:
Desperabundæ conditionis homo es!

22. Redditio.

1631. Dec. 2.

Audit Amor, vellensque comam: Quid, vane, quiritas?
Non, quod desperes impius, inquit, habes.
Spes tua post unum fuerat Glogerus Jovam,
spes tua post unum Jova Glogeriadem.
Hanc et adhuc utramque tenes. Spes fisa Jehovæ
nescit in æternos fallere posse dies.
Atque Thomingiadem monstrans, hoc nititur, inquit,
altera jam tua spes, cerne Glogeriaden!

Quod testando amori Cl. Jano Nicolao Thomingio, Pal. Med. D. Fautori et Amico, ac pro tempore Contubernali ad latus unici hei! quondam mei Glogeri serio moestus et juxta lacrymas appono Lipsiæ quarta Non. Xbr. MDCXXXI. Paulus Flemingus Hartensteinius.

23. Super amicitia cum Conrado Boltenio Sundensi inita.

Jussit, ut exigua sibi quid meditarer ab arte
noster amicitiæ conjugialis Amor.
Quid meditarer enim? dixi. Meditaberis ipse,
digna tibi nemo, tu tibi digna facis.
Risit et ætherea puer actus in aera pluma
Boltenium volucri cor redimivit ope.
Hic tacet et proprio vetus approbat illud in usu,
hoc magis urit Amor, quo magis ille tacet.

24. Albo Christiani Brehmi Lips.

Volvo librum, nec fronte libri, nec calce notatum,
cerno, quod ingenui symbolon esset heri.

*

23. 6 redinivit Hs. 24. Hac ... via Dr.

Ridet Amor causamque rogat. Quid quærere pergis
anxius? Ipse libri symbolon, inquit, eram.
Miror hoc. Ergo tuo si symbola more celebras,
hoc poteras, instat, me celebrare modo?
O quid ego vestras jam non celebravero laudes,
symbolon o similis dulce, loquebar, heri!

25. Nominali Ernesti Dehni.

1632. März 13.

Fulserat in verno tua lux nitidissima cœlo,
certa volens tacito me præabire pede,
ivit, at extremas dum se demittit in umbras
vesper, Amor lucem clamat abire tuam.
Quid tibi? quid facerem luci tam læta silenti?
Hæc gratanda tibi tuque ligandus eras.
Solvo diei, tibi solvo tuum, sed sero, quid obstat?
Tu mihi sub media nocte serena dies.

MANIUM GLOGERIANORUM

LIBER II,

IN QUO

CUPIDINES.

Nobilissimo Juveni Nicolao Heinsio, Max. Danielis F. Patriæ Perfectionis Ideæ Expressissimæ, Pro Reciproci Amoris Incitamento Hos Meos Cupidines Relinquo Alma Lugduno Abiens X. Cal. Febr. MDCXL Paulus Flemingus.

CUPIDINES.

1. B. Glogeri Febris.

Dum lassus posito juvenis recubaret amictu
fatalisque suum lectus haberet onus,
tabifico liquidæ fervebant torre medullæ
et jecur insolitus cœpit inire rogus.
Irrubuere genæ, pavidis calor innat ocellis,
fomes et in toto corpore sanguis erat.
Quid mirer juvenem tacitis flagrasse caminis?
Miror in adspicuas non abiisse pyras.

2. B. Glogeri Somnium.

Lecto compositus, pulmone jacebat anhelo,
ibat et ad requiem mens levisomna suam.
Visa fuit juveni niveorum turma volonum
et pugnaturi candidus ordo gregis.
Cerne, ait, et, mea vita, veni? Sic sueverat ad me
dicere. Et advento somnia cara refert.
Alter Ego, confide, loquor, res numine plena est.
Sunt, quibus in cœlum tutus agare, duces.

3. B. Glogeri Frons.

Dædala syncipitis laquear cum læve magistra
sterneret et niveæ nobile frontis ebur,
errabat digitis plastes frontemque paranti
massa figurando pectore prensa fuit.
Vidit, aitque, meum nec quicquam corrigo plasma.
Sicque volens mirum vivere jussit opus.
Pectoris instar erat juvenis frons, frontis ad instar
pectus. Candor erat pectore, fronte fides.

4. B. Glogeri Poesis.

Risit ut, ut genitum poterat spectare puellum,
sustulit ut patria dia poesis humo!
Cresce, ait, alme puer, geminansque labella labellis
in pusum tepidas flat celer artis opes.
Flevit ut, ut juvenem jam viderat esse peremptum,
ut doluit fluidas ter quatiendo comas!
Ast, ait et juvenis victura poemata jactans,
haut poteras vitam vivere, vive necem!

5. B. Glogeri Oculi.

Sidera fulvicomis æquale nitentia stellis
et gemina nuper astra pudica face,
quam capitis convexa sacri decoratis ephebo
inque meri placida fronte natatis heri!
Sed, faculæ, vestras quo nunc restinguitis ignes?
Quæ perit artificis naufraga cymba vitri?
Quid fiet stellis, quid segnibus accidet astris,
si mea tam subita sidera morte cadunt?

6. De Febre et Morte B. Glogeri.

Ut juvenem patrio posset superaddere cœlo
i, Febris i, siste, Mors, mihi, mandat Amor.
Parebat dominæ fatalis biga Monetæ.
Ibat et ad dictos nata parensque Lares.
Leniter adstantem Febris invadebat ephebum
et placido facilis Mors in agone fuit.
Morte quid ingemimus juvenem cecidisse febrili?
Illi mater erat illa, sed illa soror.

7. B. Glogeri Manus.

O manus infracti bene conscia federis, immo
autor inabrupti pignoris, alma manus,
ergo tuos sublesta meis subducis amores?
Ergo tuam lubricam cerno fuisse fidem?

*

4. 1 gemitum Hs.

Sic queror. At divinus Amor, vellendo capillos,
non, ait, in tantum quod queriteris, habes.
Functa probat, vivens sanxit quod dextera pignus.
Quæ vita nexuit fœdera, morte ligat.

8. Salvor Gratis. Symbol. Sebast. Grunaweri Sil.

Beatus loquitur.

Prostantem nuper pretio licitabar olympum,
dicebam: Quanti das mihi, Christe, polum?
Aurum solvebam, sed vendere noluit auro.
Divitias totius nil moror orbis, ait.
Me meritumque meum ponebam callidus emptor,
nil ego, nil meritum sed valuere meum.
Debile quid pretium, meritum quid inutile jactas?
Si quid, ait, gestis solvere, solve Nihil.

9. Ad M. Christenium.

Moestus eo, charo viduatus morte sodale,
quis, queror, hei! mihi nunc ibit amore comes?
Dicit: amabo, solum; sed amor mihi displicet orbis.
Dicit: amabo, salum; quo mihi salsus amor?
Dicit: amabo, polus; nec amor mihi ridet olympi,
donec Christenius dicit, amabo, meus.
Inque solo inque salo inque polo dum rimor amorem,
unius invenio pectore Christenii.

10. B. Glogeri Sudor.

Dum jacet et fessum languenti corpore lectum
sidereo juvenis æger amore premit,
urge, ait, urge gradus, Deus, urge, adeamus olympum,
urge, age, age, urge tuos, urge, age, age, urge meos.
Interea toto largus de corpore torrens
rumpit et in salsas liquitur æger aquas.
Quid juvenem juvat astra cito pede carpere velle?
Jam celer in proprio navigat ipse freto.

11. B. Glogeri Crines.

Ille ego virgineo demessus vertice crinis,
delicies domini luxuriosa mei,
quæro meum, sed quæro meum sine vindice campum.
Sed mihi natalis synciput ora fuit,
synciput ingenui juvenis, quod triplicis ajunt
ferra deæ rabida præsecuisse manu.
Cum natale mihi præciderit Atropos arvum,
me tibi, messor, habe, dum mihi campus eris.

12. B. Glogeri Corona.

Fulvus inauratis qui splendet crinibus orbis,
concolor et dominæ flammat in igne comæ,
hunc tibi, flos juvenum, pietas pertexere jussit,
nectit cum digitis gratia blanda suis.
Carpsit Apollo rosas et fila dedere sorores,
imposuit meritis jam Decor ipse comis.
Flos ornamen erat juvenis, sed majus iisdem
ornamen juvenis floribus ipse fuit.

13. De Eadem.

Non, reor, halantis fœcunda rosaria Pæsti
hisce rosis similes gignere posse rosas.
Hesperethusa suis tales non educat hortis,
pulcra nec ornatis parturit Hybla jugis.
Floribus orbis habet nihil his formosius, at quid?
Pulcrior his juvenis floribus unus erat.

. . . . . .
. . . . . .

14. Assimilatio.

Qualis erat tuus ille, tuus charissimus ille?
ajebat nuper turba profana mihi.
Dextra sumo stylum chartamque prehendo sinistra
milleque pergo deos pingere, mille deas.

Fingo Sales et non numerabile vulgus Amorum,
fingo Fides, Charitas, Gaudia, Delitias.
Picturamque notans, meus, heus! charissimus ille,
qualis erat, cupitis cernere? talis erat.

15. B. Glogeri Preces.

Quale sub immiti morientia lilia sole
flaccidulo pluvias ore precantur aquas,
sic moribunda pius præcordia lassat ephebus,
in media velle pransus obire die.
Singultat tremulos suspirans pulmo vocatus,
tunc et hiulcat opus languida lingua sacrum.
Forte cient frustra morientia lilia rores,
tabuit atque meum sub prece liliolum!

16. B. Glogeri Candor.

Aemule lacteolo mihi cor, o amate, ligustro,
æmule splendidulæ cor, o amate, nivi,
ah! fugis, ah! nitidi fugis, ah! fugis, albor oloris!
Ah! fugis, ah! ovo par fugis, alme nitor!
Palla pudica cygni nigro turpabitur amne
ovaque fluminibus inficientur atris,
sola ligustra cadunt, leni nix tabet ab æstu.
Hei! tuus, hei! candor febre liquatus abit.

17. Connexum.

Attamen infectæ subnascitur altera pennæ
et redit ad primum schema serenus olor.
Forte suis mendis teres emaculabitur ovum
et dabitur facie posse nitere sua.
Educat usque tepor vernus de lege ligustra,
parturit atque novas bruma novata nives.
Hei! tuus, hei! solum tuus omnibus excidit annis
candor, o æternum non rediture mihi!

18. Ad Cuniculum, Amores Glogeri.

Luge, belle cuniculille, luge.
Ille gemmeus, auriplenus ille,
ille mollis et ille delicatus,
delicatior ille molliorque
ille, ille, ille tuo magis cucullo,
fatali tibi febre raptus audit.
Cui post, ah! cui post, placente lusu,
delectamine, dissilitione,
gratias dabis et dabis lepores?
Cui jocos paries, cui cachinnos?
Luge, belle cuniculille, luge.

19. Ad Stellas.

Agmen serenum, fulva flammarum cohors,
per-nox caterva, plebs tenebrarum vigil,
auræ Quirites, vitrei cives fori
castique cærulæ camilli curiæ;
dum vos pudicus ore Nocturnus rubro
producit orbi candidoque Cynthia
invecta cornu vulgus ordinat vagum
mandatque jussis ire semitis vias,
vacantis æthræ pumili statis dei
frontesque puris impeditis crinibus
auroque vos illuditis totos mero.
Quid hæ choreæ, musico quid hi pede
saltus canori? quid tripudia tinnula?
Silete pulcri, tale non volo melos.
Sonate lessum vel migrate de polo.

20. Aurora.

Qualiter ingenuos miramur in ære lapillos
ludere flammeolis hinc et et inde labris,
surgit in aureolis Matuta pudica capillis,
purpureis nec vult tota latere genis.

Impatiens radii properat Nocturnus ad Indos,
nictat et in roseo lumine nana dies.
Sed, dea, quid castos nimium cito condis ocellos?
An, quod amans oculos condidit ante meos?

21. Ad Carbonem Catellum, Delitias Glogeri.

Nigro nigrior, carbo, corvo,
ipso sed tamen in nigrore pulcer,
quid saltu lepido, quid ore blando,
gestibus nitidis, movente cauda
et dives vario canum lepore,
occursas domini tui sodali?
Heu moesto domini tui sodali!
Parce lætitiis, catelle, parce.
Hujus desine lusitationis.
Istos mitte, miselle, mitte gestus.
Vultum supprime, conde caudicellam.
Corruga caput, implica lacertos
et quiqui miseros decent catellos,
explica, miser o catelle, mores.
Occumbit tuus hei! tuus! Quid ajam?
Occumbit tuus hei! tuus patronus!

22. Ad Rores.

Qua sed o! humectem cineres aspergine siccos,
quos miser ah! nimio cerno sub igne queri?
Arida pulvereis marcescunt ossa favillis
gutta nec est, illum quæ premat, ulla, rogum.
Vos cani rores, genitivi pignora veris,
ibitis humidulo per mea busta pede.
Ibitis et madidis mulcebitis oribus urnam.
Illa refrigerium lene furoris habent.

23. Ad Autumnum.

Ferox tyranne, cujus insolenti
curvatur annus et senescit ira,
tibi severi præliantur Euri,

tu prata pictis exuis tapetis
canaque torvus perpluis pruina.
Te calva crines arboreta lugent
nudisque saltus ingemunt racemis.
Te noxiosa prævium quadriga
periculosæ consequuntur auræ.
Frequens catarrhus crebriorque febris
dolorque multus plurimæque pestes
et longa mille mortium caterva
densis euntem commorantur armis.
An semivivum me, cruente, linquis,
dum me per unici mortem trucidas?

24. In Medicamenta.

Ne desit, quod posse queat prodesse dolenti,
tota patet cistis pharmacopœa suis.
Omnia, quæ poterant medicamina tuta videri,
ipse sua medicus miscet Apollo manu.
Cana suo sanum probat Experientia nutu
quemque bibat, calicem porrigit alma Salus.
Et tamen ille perit. Medicina (quis audiit umquam?)
ipse sibi juvenis, ne revaleret, erat.

25. B. Glogeri Verba: Per Te Me Fama Loquetur.

Ergo cupis curtam fama protollere vitam!
Ah! potius mecum vivere perge, mane!
Sed tibi sub calido gracilis movet hepate virtus,
rarus et in tepido spiritus ore natat.
Ergo tuam produc tua per tibi carmina vitam,
hoc tibi præcipitis sed negat hora necis.
Immoreris. Quod aves, per me te Fama loquetur,
rectius at per te me pia diva feret.

26. Ad Fluvios et Ventos.

Quid similem? Nostras calide compassa ruinas
limfa repercussis vociferatur aquis.

Lacrymat et truncos mecum revomit singultus
rauca fluentisonis unda crepidinibus.
Flumina, quid tremitis? Notus hac ruit, Africus illac.
Caussa, mihi magis ut condoleatis, ero.
Flamina flaminibus mea dem suspiria vestris
et lacrymas vestris flumina fluminibus.

27. Ad Aviculas.

Lubrica vos liquidi gens ætheris, hospes ubique,
ubique civis et domi,
dum late volucri populares crure secatis
communis auras patriæ,
conscia non legitis socii vestigia nostri?
Tacetis? At proles Jovis,
in tantum faciles miseris miserescite nobis!
Volate, jussum quærite!

28. Ad Arborem Notam.

Tu quoque post ævum nostros testabere planctus,
post gemitus, risus antè, loquutor eris.
Si quis ad hanc ponet piscator retia ripam,
si quis in hoc hospes rure colonus erit,
hæc leget inciso, si possit, cortice verba:
Hanc quoque Flemingi lacryma pressit humum.
Non satis est, nostros solus quod conquerar æstus,
dicet et elinguis tam fera fata stolo.

29. In Annulum B. Glogeri Mart. Christenio Meo datum.

Quod damus aureolum, Christeni mellee, munus,
hoc formosa mihi solverat ante manus.
Glogeri manus illa mei, quem fecerat olim
patria terra tuum vitaque morsque meum.
Dono donatum, majus quid pendere palmæ
nil potuere meæ, nil voluere tuæ.
Glogerum pro parte tui tibi porrigo totum,
dimidium mecum divide Christenium.

UNIV. OF MICH. ... Commercial Microforms 1988

30. Ad Annulum.

Annule, dilectæ decus intemerabile palmæ,
annule, formosæ pars pretiosa manus,
annule, supremi mansurum pignus amoris,
annule, lætitiæ tristitiæque meæ,
annule, post juvenem similis tibi contigit hæres.
Annule, post illum contigit iste situm.
Annule, nunc meus es, domini post fata prioris,
annule, cum moriar, annule cujus eris?

31. Ad Vallem Rosarum.

Vallis amœna, meis nemoralis amoribus aula
et commilitii florea mappa mei,
tu memor es blandæ per mutua fœdera vitæ,
tu joca, tu nostros scis sine fraude sales.
Auritæ novere rubi fruticesque loquaces,
sub quibus umbrosæ nos tenuere comæ.
Fallor, an antiquos, dum transeo, dicis amores?
O quot sunt frondes, sint tot et ora tibi!

32. Ad Prata.

Sive per herbosos spatiarer amabilis artus
atque comes juveni non inhonorus eram;
sive sub agresti resupinus fronde jacerem
et conjux juvenis non inamœnus eram;
quam mihi prata fuit vestris incedere sulcis,
quam fuit in vestro dulce jacere sinu!
Ah! quod non pereo, per eo dum gramina vestra!
Ah! quod non jaceo, dum jacuisse velim!

33. Ad Violas. Recordationem B. Glogeri cum harum odoris suavitate comparat.

In sua virgineus carpit vos gaudia pollex,
nec poterat talis vos piguisse necis.

Purpura cyaneis nuper confusa labellis
livet in aridulis fuscula facta genis,
dulce sed ambrosias halant ea funera fauces,
vividus e vestrâ morte resurgit odor.
Cum vobis a morte meus fit gratior heres
vestraque de memori funditur aura rogo.

34. Ad Deos Agrestes.

Sylvani, Satyri, Priape, Fauni,
Terminus, Dryades, Diana, Pales,
ite, numina ruris universa,
ite, currite, saltuum monarchæ,
arborum genus omne pervolate,
frondes carpite, complicate fasces,
ramos sternite, colligate thyrsos
et brevem juvenis jacentis urnam
circumnectite ductili racemo.
Tum late virides super columnas
et strictas hedera trabes procaci,
sutiles bene collocate pompas,
ut surgens foliaceo nitore
suspici queat eminus cacumen.
Ite, currite, principes agrorum.
Quod nisi properaveritis, ipsa
current robora, fraxini, cupressus.

35. In Charites.

Quæ tria fœmineis apparent corpora peplis,
corpora flebilibus conspicienda modis?
Ludor, an Aglajam video? videone Thalejam?
Fallor, an Euphrosynen tertia fronte refert?
Est ita. Dilecti lacrymantur funus ephebi
cumque sorore soror flet juvenile decus.
Fortunate cinis, quem sic pia numina curant!
Dum gemuere, dolent; dum doluere, gemunt.

36. De febre ardente et sudore B. Glogeri, Ad Florianum Stritzkij, Sil.

Pugna fuit flammas inter, fuit inter et undas,
utræ vexarent cor juvenile magis.
Præstamus, sonuit aqua rauco vortice, flammis!
Præstamus flammæ, flamma strepebat, aquis!
Quin libeat certare, fremunt. Pugnatur. At æger
in mediis, mediis ignibus, exit aquis.
Principium fuit hoc, finis fuit illa duelli.
Dic, quæ victrices obtinuere manus?

37. De Iisdem.

Spumea cærulei quid abhorres flumina ponti
et vicina times membra locare rogo?
Quisque sinu sua fata suo gerit. Omnia lethi
sunt exempla domi, nos et ubique premunt.
Quem gemimus juvenem, procul igne miser, procul unda,
debuit in mediis igne fretoque mori.
Alta paves frustra, frustra fugis, hospes, ab igne;
ipse sibi moriens ignis et unda fuit.

38. B. Glogeri Malum Citreum.

Aurea sub juvenis rutilescunt pollice mala,
aurea mala nitent, aurea dextra tenet.
Aureus ipse micat. Sed quæ sunt aurea mala,
aurea quæ similis dextera gestat heri?
Fertilis his similes non parturit India fructus,
tale quid Hesperiis non generatur aquis.
Quum nullas habeant natales talia terras,
quis neget, e fulva mala renata manu?

39. De Insignibus B. Glogeri.

Quæ currunt hyalis amœna ripis
per late nitidos fluenta campos?
Quæ totum niveis serena plumis

ales turgidulas flagellat undas?
Quæ racemiferis sublime villis
in celsam caput abdit arbor æthram
ad volventis inane littus amnis?
Ceras indigitas Glogerianas?
Scite. Moribus hæ per omne raris
sui conveniunt heri rubricæ.
Mare flumen id est scientiarum.
Candor vivit olore, fama palma.

40. Ad Lectum B. Glogeri.

Deme verecundo variata toralia textu,
lectule, deme tui plumea fulcra sinus.
Abstrahe textilibus velaria consita filis
et, facit ad mundum quod peristroma tuum.
Circumfunde tuo gausapia pallida collo,
fuscus inornatum stet color ante pedem.
Mollia viventi peperisti gaudia, functo
jam quoque, ceu pax est, exequieris hero.

41. Imago B. Glogeri.

Sunt ea cæsiolis canentia lumina circis?
Sunt ea coccineis proxima labra labris?
Quo vivax roseo migravit purpura vultu?
Quo fronti teneræ jam cecidere nives?
Pendula cæsaries fulva pallescit in umbra.
Per faciem totam frigida serpit hiems.

Desideratur **clausula**.

42. In Libellum. Die Geistliche Wasserquälle.

Gestat aquas juvenis. Sed quas gerit aureus undas?
Quæ tenet in vacua flumina sicca manu,
flumina Castalio non prosilientia clivo,
non Aganippæis præcipitata jugis?

Quæ gerit, haut faciunt nævosis flumina membris.
Illa lavant animæ menda fluenta piæ.
O homo, quo luteam possis abstergere mentem,
sit liber unda, preces spongia, flamma fides.

43. Joanni Christophoro Lobhartsbergero Propempticon.

Ne tibi noster Amor possit male fidus haberi
atque aliquid dubiæ suspicionis alat,
sume fidelanimam testantia symbola dextram.
Carmen amicitiæ pignus habeto meæ.
Sala capit te, Plissa vetus me vincit et una,
quod foret in votis, improbus ire vetat.
Solus eas? Non solus eas. Comes illa perennis
litera contigui tessera cordis erit.

44. Cum somniaret se a J. G. Schilacho S. Pyropo donari.

Grata per illunem ludebant somnia noctem
et mihi cum Schilacho fabula longa fuit.
Ille fidelanimem contestaturus amorem
ferre mihi visus gemmea dona fuit.
Evigilata suo se mens lætamine falsam
sensit et umbrosas esse dolebat opes.
Omen at est, dixi. Bacca pretiosior omni
ipse mihi Schilachus unio totus erit.

45. Albo Joannis Sibelii, Westphali, super symbolo ejusdem.

Sub persona possessoris loquitur Veritas.

1633. Febr. 7.

Cor mihi, quod volvat, constanti disserit ore,
os mihi cum simili corde, quod ajat, agit.

*

43. 3 Sumis amaturæ ... dextræ Dr. 44. 3 Ille perennantem Dr. 5 Evigilansque Dr.

Cor tacet; os reticet. Loquitur cor; et ora loquuntur.
Officium concors illud et illa tenent.
Os sine corde nihil, sine nil facit ore cor aptum.
Os in corde gerit, qui cor in ore gerit.
O me felicem, tali quæ munere præsto!
O te felicem, quando sequutor eras!

MDCXXXIII. Lips. VII. Eid. Febr.

MANIUM GLOGERIANORUM

LIBER III,

IN QUO

V O T A.

Nobili Et Ad Perfecta Nato Casparo Hertranftio Lusato Nomini In Batavia Mihi Dulcissimo Et Aetatem Desiderabili Pro Contesseratione Amoris Plus Quam Fraterni Germana Fide Inscribo Paulus Flemingus.

VOTA.

1. Invocatio ad Poesim meam.

Diva, superstitibus multum valitura rubricis,
canæ perennitatis assestrix comes,
si juvenis genius potuit placuisse faventi
castisque lenis astitisti vocibus,
esto comes manesque tui super implue vatis,
docto madore nectaris volens meri.
Sis, dea, vivificans tam diri funeris ultrix,
se jamque victa, discat ipsa mors mori.

2. Vox.

Nox erat et medias cogebat luna tenebras,
stabat et in nitidis plurima stella comis.
Surgit et ad patulas convertens lumina valvas
miratur juvenis nobile plasma Dei.
Dumque cavi Tempe flammantia dispicit orbis
et nictare rubris sidera fulva genis:
Quin, ait, evolito. Sit Amor mihi, Christe, supernus
actor, ubique cyclus, tu polus, ignis ego!

3. B. Glogeri Votum.

Assere me gratesque tuæ cantavero dextræ
atque memor meritum, Christe, sonaro melos.
Sic ait, in mediis ubi ferveret ignibus æger
et juvenis dubiam credere posset opem.
Audiit et prono Christus nutabat olympo
et sudæ juvenis amodo mentis erat.
Si vetar in terris, pangam tibi carmina cœlo.
Sic ait et cupido scandit in astra gradu.

4. Ad Philippum Mullerum Med. L. V. Cl.

Quum inchoaret Manes Glogerianos.

Grande mathematicæ sidus, Mullere, catervæ,
sed quoque Pœonii portio prima chori,
si mea te pietas, si Manibus æquus Apollo
et nimis in cineres obsequiosus Amor
posse meret bene velle mihi, mihi candidus adsta
atque tui nascens suscipe vatis opus.
Hinc poterit seri genius censere nepotis,
non venit a vita vivere, morte venit.

5. Somnia.

Tot mihi formosæ de te sunt, unice, noctes,
quam facit ad liquidum spissa tenebra jubar!
Vix levisomna suam carpit pupilla quietem,
ilicet ante meum stare videre torum.
Ludis et, et solitis charum complecteris ulnis,
tergis et ex oculis flumina salsa meis.
Gaudia si mihi tot pariunt præludia mortis,
gaudia quot functo mors dabit ipsa mihi?

6. Querela.

Dum meus auratas transit Glogerus in arces
exuviasque sui me male linquit humi,
suspiro: Mea Musa, mihi mea mella ministra!
Redde, solum, mea mi sacchara, redde, salum,
mitte meum mihi, manna, meum mihi, munde, remitte!
Aura, poli, stellæ, mittite missa mihi!
Omnia dum nequeunt mea mi omnia reddere, restat,
omnia vel fuero, vel nihil omnis ero.

7. Ad Somnum.

Non tenebrat vigiles mortale papaver ocellos.
Fronde quatis frustra tempora sicca tua.
Nec mihi Thebaicus facit ulla crepuscula succus
lymphave, letheo quæ fuit hausta lacu.

Dormio, sed vigilans. Nox absque quiete recedit,
absque quiete dies, neutra quieta sibi.
Si deus es, te luminibus, pater, indue nostris,
aut mea luminibus lumina deme tuis.

8. Ad Cœlestem Mentem.

Chara sepulcralem faciunt me funera vatem,
nec desiderii lex erit ulla mei.
Aurea magnanimi soboles Jovis, aurea virgo,
quæ regis e supera pectora nostra domo,
sis bona, sis facilis lacrymisque illabere nostris,
ad durum mollis munus adesse velis.
Flagitio jacet ille necis, tacet ille peremptus,
Officio juvenis vivit ovatque tuo.

9. Ad Sororem Meam.

Non tibi sit tanti fraternos spernere fletus,
ut numquam nobis aggemuisse velis.
Ac, quamvis Romana tuos hæc litera sensus
de nostro nequeat commonuisse malo,
nostra tamen coram si non tibi fata reclusi,
hæc tibi jam poterit explicuisse parens.
Forte peregrinum nolis, germana, Glogerum,
at plores Paullum, quæso, Sabina, tuum.

10. Ad Manes B. Glogeri.

Quas damus inferias, vestris quas ponimus aris
lances, quæ solita mystica farra dape,
sumite, sed faciles, vestris devotaque justis
carmina de nota non reprobate manu.
Hoc ipsi voluistis opus, dum vestra caducum
corpora mortali vimine vincta forent.
Jam lacrymas libo, mox et libavero mentem.
Ah mihi, quod jam non mortuus esse queo!

UNIV. OF MICH. Commercial Microform 1990

11. Fero, Ut Feram.

Mens mea, quid doleas, lacrymes quid, quidve fathiscas,
duriter humanis saucia vulneribus?
Quin magis exsultes, plaudas et clara cachinnes,
molliter æternis rorida chrysmatibus.
Omne necis, sine, vulnus habet, habet omne salutis.
Chrysma, quod excellat, illud et illud erit.
Edura, dum scire potes, quod utrimque probentur,
vulnera chrysmatibus, chrysmata vulneribus.

12. Aliter.

Abstine, quæ bona sunt, mea mens, bona sola videntur.
Sunt bona, quæ mala vult pessimus ipsus homo.
Sustine, quæ mala sunt, quod et hæc mala sola videntur.
Sunt mala, quæ judex sons bona censet homo.
Sunt bona, quæ mala sunt perverso credita mundo,
semper at electis sunt bona, quæ mala sunt.
Sis patiens, potiens et eris, mens enthea; cœli
tunc potiens, mundum si patieris, eris.

13. Aliter.

Mens mea, quid fatuis, stolidum quid, mora, moraris,
molliter humanis tacta libidinibus.
Quin sape, patritios et suspice luminis orbes,
suaviter æternis capta cupidinibus.
Illa cupido trahit, trahit illa libido volentem;
hæc perit, illa manet; hæc fovet, illa necat.
Sperne solum speraque polum, cœlestibus olim
plena cupidinibus, plena libidinibus.

*

11. 1 quidque fatiscas Dr. 3 magis exultans cum plausibus ede cachinnos Dr. 6 expellat Dr. **12.** 2 mala quæ bona Dr. 7 patiens et Hs. **13.** 1 vana, moraris Dr. 3 Quin magis ad patrium sustollas lumina cœlum Dr. 6 illa beat Dr. 8 plena lib., plena cup. Dr.

14. Aliter.

Hac mihi tristitias, lacrymas, suspiria, mortem,
tormina, Gehennam sistit amicus Amor.
Hac mihi lætitias, risus, cantamina, vitam,
gaudia, cœlum ipsum ponit amœnus Amor.
Illa pias terris infestant fulmina mentes:
hæc, ait, in cœlis fata morantur eas.
Ah patiamur, Amor, dixi, patiamur ut olim!
Quam patienda lubens, si potienda, feram!

15. J. Michaeli Sponso.

1631. Nov.

Nubis et optata frueris cum sorte puella
sudaque conjugii tempora lætus agis.
Fausta precaturæ latum strepit ordo catervæ,
cernis et in plausus quemlibet ire tuos.
Jungo meum, sed jungo meum sine compare votum,
compare, quo mage par post mihi nullus erit.
Forte pares eritis, si nos in amore præimus,
o nobis numquam disparitate pares!

16. Michaeli Scholtzio Sil. Prope turbas Lipsicas MDCXXXII.

1632.

Quassa procelloso velut intremit æquore navis
aut movet ad rabidum summa labrusca Notum,
hinc illinc jacimur, timor hac, pavor irruit illac,
trudimur et variis hinc et, et inde viis.
Nulla mihi, tibi nulla patet via tuta salutis.
Diffidit misero quilibet ipse sibi.
Tota licet natura ruat, tria me, tria firment
te: bona caussa, Deus lenis, amicus homo.

*

14. 2 Angores, orcum Dr. 3 risus et jubila Dr. 6 morantur ait Dr. 7 Ah! inquam: patiamur Amor, potiamur Dr. 16. 4 Trudimur in lubricis Dr.

UNIV. OF MICH. ... Commercial Microforms 1986

17. Wendelino Dahinden Super Symbolo: Deus Adjutor Meus.

Quando tuus Deus est adjutor, amice, fateris,
cujus in ambigua sorte preceris opem,
scilicet hic tutum fugientibus exstat asylum;
hic timor, hic fallax non habet hora fidem.
Ille suam cui præstat opem, quem suscipit intro,
mollia securæ tempora pacis agit.
Qui juvat et juvit semper semperque juvabit,
est tuus adjutor. Quid trepidare velis?

In Albo.

18. Super Funere Cujusdam.

Seu lapidosa trucis crucium tormenta podagræ,
seu necat invalida curva senecta manu;
sive per hostiles factus trepidare tumultus,
attonitis poteras succubuisse minis,
fortunatus obis et in ipso funere fœlix
tuta perennantis fata quietis habes.
O bona mens, quæ te tot mortibus eximit una!
Vivere quo posses, debuerasque mori.

19. Ad Musas.

Segnia nolentes carpebant otia Musæ,
nuper ubi Pindi non gravis hospes eram.
Quærebam caussam, reddebant numina caussam.
Nam nihil, ajebant, quod faceremus, erat.
Ah! non dura mihi, dicebam, numina, sitis,
materies operis, quod peragatis, ero.
Ilicet hos illius tradebam fundere lessos.
Numina sic docui, sic didicere deæ.

20. Ad Meditrinam.

Et sequar, a fido cum sim ductore relictus?
Quam pavet ignota pes dubiosus humo!

*

17. 8 potes Dr.

Tu tamen e summo trepidantem, diva, theatro,
ut sequar, assidua sedulitate mones.
Qua sequar aut abeam? Dea, dic, dea, detege calles,
sponte-sequutores non retinebo pedes.
Audio, nec video, sequar ast. Erit ipse vaganti
ad te, quo veniam, vel meus error, iter.

21. Ad Famam.

Surge, volaturas, dea, sume volatilis alas,
surge, loquuturas indue tota tubas.
I, vola et hac, socium Pyladis qua dicis Oresten,
Glogeridis lingua fare Flemingiaden.
Quicquid erat veteris per te memorabile mundi,
hoc referunt nostri, te memorante, dies.
Congrua diversi sumus exemplaria sæcli,
ille vetustatis, posteritatis ego.

22. Ad Musas.

Ut faciles nostro sitis sub carmine Musæ,
hoc petit a vestro numine noster Amor.
Natus Amor Charitum, blandus conviva leporum;
vota, deæ, civis non reprobate dei.
Hos, mihi quos latias calamos acuistis ad aras,
illius e vestra nomine sumo manu.
Nomine scribo dei. Deus est Amor omnia nobis,
humor, arena, stylus, pagina, scriptor, opus.

MANIUM GLOGERIANORUM

LIBER IV,

IN QUO

DESIDERIA.

Vincentio Fabricio Cimbro Poetæ Supra Seculum Et Aetatem Illustri De Facie Nondum Noto Pro Amicitia Fundanda Lubens Offero Paulus Flemingus Eo, Quo Heinsium Utrumque Æstimo, Animo.

DESIDERIA.

1. B. Glogeri Eucharistia.

Lurida macrabant miserum jejunia corpus,
aruerant longa languida membra siti.
Clamabam: Esurio! posuit mihi mattia tellus.
Non poterat nostram tollere terra famem.
Clamabam: Sitio! fudit mihi pocula pontus.
Nostram non poterunt illa fugare sitim.
Tandem rauca meo flavi suspiria cœlo
jam prope deficiens: Esurio! sitio!
Audierat meque in suspiria pura liquatum
ad rutilas sedes cœlicus egit amor.
Ah mihi! qualis eram, quæ, quantaque gaudia sensi!
Tu mihi, Christe, cibus, tu mihi potus eras.

2. Eadem.

Sternite divitibus convivia pinguia mappis,
Cæsares, ambrosias ponite lautitias.
Quid juvat ex epulis vomituros tendere ventres?
Quid juvat Ausonia nausea mota dape?
Ite, utres tensi, vos non jejunia linquent.
Cras sitietis enim, ceu sitiistis heri.
Esurio te, te sitio, mi mellee Jesu.
Te satur ingesto jugiter esse queo.

3. B. Glogeri Medicina.

Cesserat ingenui torrens facundia Celsi
et tibi Galenus cinxerat ora vigor.
Præscia munierat caput experientia Coi
curaque Pæoniæ judiciosa deæ.
Sennerti genius magnique Moneta Borussi
formarant manibus cerea sensa suis.

Hoc poterant vivo tanti superesse medentes,
hei, tamen et poterant hoc moriente mori.

4. B. Glogeri Pietas.

Fertur inexplicito pietas risisse cachinno,
pulcer, ubi rabida demeterere nece,
mox adventantem lento plicuisse lacerto
et pressisse meris obvia labra labris.
Dicitur et similem niveo velasse sodalem
syrmate et in dominum deposuisse torum.
Nil pietate magis coluisti vivus, amice,
te recolit functum nil pietate magis.

5. B. Glogero Vitæ meæ.

Te sine nulla dies potuit mihi læta videri,
te sine cuncta fuit flebilis hora mihi.
Me sine nulla dies potuit tibi læta videri,
me sine cuncta fuit flebilis hora tibi.
Tu sine me, sed ego sine te nunc cogimur ire.
Tu sine me raperis, te sine linquor ego.
Ah moreris sine me, sine quo non vivere quibam.
Ah vivo sine te, quo sine functus eram.

6. Hora IIX. Promeridiana.

Jam ciet Octobres frigens Matuta quadrigas,
jam stat ad octavam spissior umbra notam,
jam meus extremas Glogerus subbibit auras,
jam levis e patulo spiritus ore volat.
O mea spes! mea lux! mea mens! mea cuncta! meum nil!
Omnia sunt uno nomine rapta mihi.
Quot mihi millenæ parient discriminis horæ,
unica millenas si parit hora neces!

7. Solitudo.

Felix, qui tutum terra subvectus olympum
riserit armicrepi prælia longa soli.

Pax ibi tranquillis sanctum circumvolat alis
et fovet in molli tegmine festa quies.
Huc sua pernices juvenis mens enthea pennas
strinxit, inexposita docta volare via.
Non queror implacido juvenem cessisse profundo;
hei! viduum miserum me superesse queror.

8. Infortunia Glogeri.

Tot miser esse modis poteras sentireque largus
infortunati fata noverca viri.
Pauper eras, virtute tamen cordatior ibas,
dum frugalis eras, sat tibi dives eras.
Exsilium, morbi, fures, injuria, leges
quassarunt miseris sensa subacta modis.
Hoc modo restabat, quo dejectissimus esses,
pravus, qui potuit te jugulare, medens.

9.

Omnigenas juvenis discendo exhauserat artes,
jam nec in arcanis, ars quod haberet, erat,
huic septemgeminæ nihil occuluere sorores,
nil Charis et vario Suada lepore potens.
Phœbus Apollo suam tandem dabat ipse medelam,
pronus et in juvenem plurimus ibat honor.
Omnia dum studuit, neglexit in omnibus unum,
discere debuerat non potuisse mori.

10. B. Glogero Virtuoso.

Pauper erat, tamen esse virum duratio suasit.
Fortuna major seque Glogerus erat.
Exul erat, sed firma mari constantia sensu
Ausonios fecit ferre valere dolos.
Aeger erat, valido sed erat patientia talo
nixa deditque ipsam vincere posse necem.
Quicquid erat miserum, juvenis fuit undique, virtus
sed tamen et juvenis undique quæque fuit.

11. B. Glogeri Patientia et Constantia.

Quicquid agebat opus, constans Glogerus agebat,
instabat patiens, quicquid agebat opus.
Scilicet ipsa sibi juvenem patientia constans
officiis similem fecerat esse suis.
Scilicet ipsa suam patiens constantia vernam
imbuerat dubias spernere posse vices.
Quis negat, ipse fuit juvenis patientia constans
et patiens juvenis robur is ipse fuit?

12. Ad Solem.

Cynthie, cum fesso tua subtrahis esseda mundo,
pronus et Hesperias laberis inter aquas,
nil nisi furva nigræ premit omnia noctis imago,
nil nisi schema trucis omnia mortis habent.
Tunc et cuncta velint æternam stertere noctem,
vita nisi redeat, te redeunte, sibi.
Dulce mori cunctis, si surgere, Phœbe, recusas,
dulce mihi Phœbo non oriente mori.

13. Ad Floram.

Flora, verecundum quid pandis ubique rosetum
et mihi suaveolens, qua vio, sternis iter.
Heic crocus, heic castis variantia lilia malis,
hic diversicolor tulipa pingit humum.
Parce tuis, dea, parce rosis. Vereamur iniqua
calce verecundas perdere veris opes.
Non mihi, diva, places, tua non viridaria, flores,
dum tibi, dum cecidit floribus omne decus.

14. Ad Noctem.

Una meam miserata vicem, dea, surgis et omne
blanda jubes lenem molliter ire torum.
Solus ego vigilaro mihi, mihi temsero somnos,
quosque diu lessus lacrymo, nocte querar.
Tu mihi sola faves amicimine pulla fluenti,
tu mihi funereo congruis una melo.

Sed cras albenti, dea, mane recesseris a me.
Nil facis: æternans me premit umbra tamen.

15. Dies.

Jamque soporosos extergens Phosphorus hirquos
semivigil creperum fulgurat orbe jubar.
Mox ubi stertentem lux excitat aurea mundum,
Phœbus et Eois plurimus exit aquis,
plena dies niveis orbem circumvolat alis,
irrigat et pigrum lux generosa solum.
Plena dies mundo ceciditque reditque vicissim:
hei! mea dum cecidit, non orietur item.

16. Ad Vesperam.

Vespera, nam fessum solari cerneris orbem
et misera fractis grata venire die,
demit arator opus, cogunt mulctralia vaccas,
verna strepit circum pensile passer opus.
Lenia sollicitæ tranquillant otia noctis
omnia, me solum negligit æqua quies.
Jam toties totiesque redis totiesque redibis
vana. Veni vitæ vespera sera meæ!

17. Lessus.

Immorior, nece nec tamen hac me vita relinquit.
Continuus vivo continuusque necor.
Mors fugit et morior. Fugit, et tamen exprimo, vita.
Sic redit alterna vitaque morsque fuga.
Mirum posse mori, constans cum vita supersit!
Mirius, in media vivere posse nece.
Quam mihi lethiferum est, invitus vivere cogi!
Ah mihi sit, nolle vivere, posse mori!

*

17. 5 tum Hs.

18. Ad Ventos.

Instabilis animæ, nam vos dedit Aeola virtus
in subito celeres ire per omne pede,
aula Jovis vos tota capit, vos integra Juno.
Ad vos immotum contremit orbis opus.
Hos ructate citi gemitus, hos tollite lessus
et mea quadruplici dicite damna plagæ.
O ego vos fiam, quo, qui modo nullibi nunc sum,
nec queo, nec cupio, totus ubique siem.

19. Glogerum adhuc vivere.

Charus eras Musis, Musæ tibi chara rependunt,
cum gemitu lacrymas ad tua busta cient.
Cynthius indoluit, lacrymas et roris in amnes,
in Zephyros gemitus jussit abire sacros.
Arida terra bibit rores. Sic ebria florum
gignit opes, circum myrtea sylva viret.
Quæ Zephyris perculsa sonum dat jugiter istum:
Vive, decus, Musis, vive, Glogere, tibi.

20. Super Cantus Philomelæ.

Lenis ubi varie querulas discriminat odas
Daulias, in vernis dispatiabar agris.
Dicebam: Mea chara, meos mihi concine questus!
Ah! mea, singultus, a! mea, finge meos.
O ego si tu sim, quam miris flexibus utar,
quam mea millemodo carmine damna fleam!
Sic ego. Suspendit primas mox illa querelas.
In me mutari forsan et illa cupit.

21. In Museum Suum.

Aureolum quondam, nunc detestabile nobis
nomen, inoffensi nempe valete Lares.
Hospitium mihi molle fuit, mihi flebile vestrum
caussaque conjugii discidiique fuit.
Vidistis juvenem sanum, vidistis et ægrum.

*

20. 5 uter Hs.

Sic erat in vestra vitaque morsque domo.
Sic erat, at quia jam refugit mors, vivida nobis,
scilicet hanc alibi quæro. Valete Lares.

22. De Lacrymis Et Suspiriis suis.

Qualis Hyperboreo rapidus furit Africus imbre
et Nothus illapsas verberat asper aquas,
sic et ab orali tumidi mihi cardine Cauri
discutiunt fletas præcipitanter aquas.
Fundit aquas oculus, venti de pectore surgunt.
Sufficit in partes illud et ille suas.
O oculi nobis, o tot sint pectora tantum,
quot pluimus lacrymas evomimusque Notos!

23. In Tabulas Medicinales, quas imperfectas edi vetuit.

Mirabantur opus, Parnassia numina, Musæ,
quod juvenis luci mox positurus erat.
Jam sinuosa suæ Sennertus lumina divæ
in gracili poterat fronte stupere brevi.
Viveret Hippocrates, quos non risisset amores!
Ipse fuit facti plausor Apollo novi.
Cum domino perit ille labor, quod numina primum
tam mirabantur, nunc lacrymantur opus.

24. Ad Henricum Ebenium Sil.

Se numquam dedoliturum.

Esto! meis aliquid decedat tempore curis,
fiat et ex senio mitior ille dolor.
Quæ mihi totalem tamen exuet hora querelam?
Quodve meo vacuum funere nomen erit?
Nulla mihi totum dement hunc secula luctum,
nec sinet hic fido natus amore dolor.

. . . . . .
. . . . . .

25. Ad Fata.

Fata, quid arguimus vestros in funere fasces
divinumque nimis sollicitamus ebur?

Si trahitis, trahimur merito sequimurque coacti:
sin, quivis pronæ se trahit ipse neci.
Invisum properamus iter, dum nolumus illud,
cumque scopum premimus, vos ea culpa manet.
Ast, homo, te primum semper semperque deinde,
ut possis numquam fata timere, time.

26. Ad Se Ipsum.

Susceptum sic ponis opus damnasque lituris?
Illud erat votum, lente poeta, tuum?
Adde manus, animum revoca calamumque resume
promissamque diis manibus urge fidem.
Vita volatilibus fugit irrevolubilis alis,
prona repentinum Parca minatur iter.
Cras, quod heri poteras, poteris succumbere fato.
Pergito: jam capitis pars perit, ecce, tui.

27. In mortem Glogeri Mei.

1631. Oct. 16.

Fulva colorato gyrabat stamina fuso
nec Lachesis juveni visa severa fuit.
Vidit et invidit nitidum gravis Atropos aurum
formosumque truci pollice rupit opus.
Perfida contracto subrisit tertia naso,
nec Lachesi facinus tam capitale fuit.
Si vobis modo nostra joci sunt fata, severæ,
cur semel abruptum non iteratis opus?

28. Omnia Glogerum quærunt in omnibus. Ego maxime.

In libris Clariæ vatem, Meditrina cathedris
mystam, per herbas mœsta filium Flora;
delitias Jocus ipse suas, Lepor ipse lepores
et omne, quicquid numinum præest cœlis,
anxia disquirunt juvenem. Magis anxius ipse
meum per omne rimor, omne, Glogerum.
Quærimus amissum, sed nos amittimus ipsos.
In perditis se perditi (dolor!) quærunt.

29. Ad Fortunam.

Omnibus instabilis, nobis durantior unis
diva, velut fixis æs solet esse petris.
Vidimus immotum constanti lumine tergus,
hinc mihi caussa mali tam diuturna fuit.
Hebdomas hebdomadem premit, opprimit annus et annum,
ex quo continuo mergimus imbre genas.
At dea, tam certo cum te mihi tramite sistas,
credam, quod volucri fluxa ferare rota?

30. Ad M. Andream Voigtum, obitum Patris lugentem.

Pone pusillanimes molli sub pectore curas
sumeque cordati mascula sensa viri.
Sic moneo, dum sera tui fles fata parentis,
dissuasor justi sic tibi moris eram.
Tu mihi: Sed proprios cur non sinis, optime, questus,
quodque doces alios, non, ais, ipse potes?
Vera refers. Sic disce meo, mi candide, more,
quam leve consilium sit dare, ferre grave.

31. Ad Phœbum Apollinem.

Sive salutiferam primus sator excolis artem,
sive Meduseæ præses es, alme, lyræ,
tu, deus, es titulo mihi bis quoque flendus utroque,
iraque sub lacrymis non levis esse solet.
Ille, cui duplicem pandisti providus artem,
nunc obit et media me male linquit ope.
Nec poteras prohibere malum? Quei, Delie, possis
iras cum lacrymis nunc prohibere mihi?

32. Ad Virgines.

Non mihi vester Amor blandis arrisit ocellis,
nec gratus poterat Cypridis esse favor.
Quem Jonathanæo modo complexabar amore,
dulcior hic vobis omnibus unus erat.
Hunc Charites junxere mihi, rapuere vicissim
illeque post raptum durat Amoris amor.

Durat et æternis non immutabitur annis,
præ quo putris erat nausea vester amor.

33. Ad Genium B. Glogeri.

Dic, serene flammeorum purpurate siderum,
qua celer non indicata noster ille gemmeus,
ille noster, noster ille transvolavit semita.
Nulla plantæ, nulla noti calcis est super nota.
Dic mihi, desiderate, dic beate, quo sciam,
qua repentina levatus avolaverit via:
an solens per florulenta divagatur jugera
et salutares perita condit arte cespites
discoloribusve prati mollis infusus toris
ad propinqui lene Plissi murmur et planum latus
fabulantibus Roseti colloquentis Africis,
semifessus, semisomnis, semitectus sic jacet
millemunis millepictis Chloridos tapetiis.
Ut meum junctis sodalem vinciam complexibus,
te per herbas, te per hortos, te per arva florea,
per rubeta, per fruteta, per vepreta persequar.
An securiore cura musica necat diem
et vel entheos diserti pervolat Celsi libros
atque diligente grandem sublimit penna Coum
vel merens Galenianæ candidatus infulæ
mente, gestu, voce, nutu, prætor acer imperat
eloquentibus diserti pulpitis . . . . .
Ut docentis a sonoro pendeam discens labro
atque præsens ore tentem, te per auditoria,
per musea, per cathedras perque scamna persequar.
An juvaturas clientes morbidi tremunt fores
isque densum septus inter vulgus ægrotantium
recta mandat, tuta scribit, sana miscet pharmaca
et barathrali solutos navitæ malos rapit.
Ut meum festina Phœbum sistat hic mihi mora,
per vias, per angiportus, per suburbanas casas,
per forum, per officinas, per plateas te sequar.

*

25 Mosea Hs.

An gravis severiora cura linquit pectora
et valente lassus ægro, fessula ponens manu
nauseosi tædiosa Pergami volumina,
sponte mota delicato plectra vibrat pollice,
quale Musæ, quale Phœbus ipse non possit melos.
Ut meum pronis inhærens auribus vatem bibam,
te per Aemum, te per Ossam, te per Othryn insequar.

34. De Gravi Pestilentia,
Lipsiam MDCXXXII depopulante.

Ibat in egregias formosæ Lipsidos oras
Mors, tenuit stivam dextera, læva boves.
Scilicet hic grandis lati patet arca campi.
Quin, ait, hanc vertet vomer hic uncus humum.
Sic arcana serit secreti semina morbi.
Plena venenatis arva stetere comis.
Dum morimur metimur: quivis fuit omnia Morti,
vomer, ager, tauri, semina, messis, homo.

35. Ad Parentem Meum
sub obsidionem Lipsiæ MDCXXXII.

Tu sed ab immiti, genitor, dispelleris hoste.
Perjuro spolium sunt bona nostra globo.
Exul es. Ah ego sim! Densa concludor ab urbe,
quis dubitat, trucibus præda futurus heris.
Adde, quod in veteres recidat mens prona dolores,
nec sinat antiquus non doluisse dolor.

. . . . . .
. . . . . .

MANIUM GLOGERIANORUM

LIBER V,

IN QUO

SUSPIRIA.

Excellentissimo Medico, Historico, Rhetori, Poetæ Andreæ Rivino In Illustriss. Lipsensi Publico Professori Veteri Quo Illum Prosequor Amicitiæ Studio Etiamnum Exprimendo Addico Paulus Flemingus.

SUSPIRIA.

1. Eusebio Lasmano, Desideratissimæ recordationis.

Qualis ad ulvosum proles Stheneleia Volgam
præcinit ipsa sibi flebile mortis epos,
talis ad ipse tuam, rerum charissime, tumbam
hoc mihi funereo carmen hiulco tono.
Ite, meæ lacrymæ, super ossa natate jacentis.
Ite, mei genitus, me geminate sequi.
Non opus est, mihi post lapidem statuatis amici,
ipse sepulcralis mox mihi tophus ero.

2. In Harmoniam B. Glogero ante obitum auditam.

Traxerat insomnes quatuor per bidua lunas
et vacuæ juvenis usque quietis erat.
Jamque leves subito cupiebat carpere somnos,
vicinus lubricum pergere mortis iter.
Ilicet harmonicas audivit cœlitus odas.
Exquesoporatus talia verba facit:
O divinus Amor, si me cupis esse beatum,
musica totus eris, totus et auris ego!

3. B. Glogeri Eucharistia.

Ætherio juvenis jam suspirabat Amori:
Es mihi, Christe, fames; es mihi, Christe, sitis.
Moxque dapes aderant et rorida mattya cœlo,
qualia, Christe, tuis te potuisse soles.
Heic bibit, heic comedit placidus conviva deorum,
fructus et hinc tacita spiritualis ope.
Paucula sic reparant, ait, ægras fercula vires,
Pande mihi totum, dia coquina, penum!

4. B. Glogeri Philosophia.

Obvia nuper erat pulla mihi tetrica palla
laxaque confusis philosophia comis.
Retro verecundæ titubabant mœsta sorores,
ibat et in nigris ars numerosa mitris.
Ajo: deæ, tanti stimulum memorate doloris,
quæ tam luctifici sontica causa gradus?
At pergunt miseræque tacent. Sed nonne tacescant?
Pansophiæ, juvenis cor, labra, lingua silet.

5. B. Glogeri Musicæ.

Viderat ingenuum vicinæ mortis ephebum
et jam solvanima Musica stare via.
Suavia funereo suspendit barbita clavo
et raucum tremulo pollice pressit ebur.
Tunc miserum dedicere fides resonare supinæ
et stridere vagum fila remissa melos.
Dum meus in luctus pulmo mihi defit hiulcos,
auræ singultant, ejulat atque sonus.

6. Joachimo Elsnero Sil.

Ille tuus, tuus ille meus, meus ille Glogerus
nostri delicies, nostri utriusque decus,
ille utriusque salus, ille, ille utriusque voluptas,
ille, ille, ille merum cor utriusque fuit.
Ille tuus, meus ille fuit, fuit ille! O quid? o quid?
Quid sumus? aut fuimus? aut erimus? fuimus!
Hei! fuimus! fuimus! tu, dum fuit ille, fuisti!
hei fuimus, fuimus! dum fuit ille, fui!

7. Ad Suspiria Sua.

Humidus imbriferis amplexibus implicat Auster
et pluvio madidos basiat ore polos.
Uda citi dant ora poli, mera decidit unda.
Exhilarat sitiens illa saliva solum.
Ah! præsaga mei semper suspiria luctus,
o oculis Austri turbo vaporque meis!

Lumina continuas mea poscite, poscite guttas,
terra sitit. Quæ sed terra, rogatis? Ego.

8. In Herbatione, quam vocant, Ad Flores, qui monstrari ac distribui solent.

Pendula labenti demittitis oscula vultu,
aurea materno pignora rapta sinu.
Candida frontis hyems, niveorum bruma labrorum,
marcet; in ostrinis ver geniale genis.
Sanguis abit, lac omne perit, color interit omnis
totaque flaccescens corpora languor habet.
Ah vos felices et ab ipsa morte beatos!
Ast ego, dum morior, tabeo; vivo tamen.

9. Ad Fratres Beati, Petrum, Davidem, Nicolaum.

Omnis in hoc uno vestræ stetit anchora navis.
Navis hic, hic vestræ prora salutis erat.
Et jam tota bonis solvebat carbasa ventis
museumque pia marmor inibat ave.
Quam sed o! insubita ratis interit icta procella!
Infelix Clario mergitur ille salo.
Non solus perit ille sibi. Periistis et una.
Quin, ego naufragii portio quarta fui.

10. Ad Album B. Glogeri.

Parve liber, sed magna tui possessio vatis,
non minus heredis nunc pia cura tui,
ah quoties, quoties madidis te basio malis!
Humidus ah quoties mandat abesse dolor!
Non sed abes umquam, bona crux, et acerba voluptas,
non sine melle tui fellis amaror erat.
Nam dominum mens nostra tuum sibi fingit adesse,
in vultu quoties hæserit illa tuo.

*

9. 8 quanta Hs.

11. Ad Silesiam.

Fœcunda mater prolium venustarum
et erudita principalium Phœbo
nutrix virorum, qualibus graves umquam
stabant Athenæ, docta vel parens Roma
superbiebat invidentibus Grajis;
tulisse sat sit entheam tibi prolem
et elegantis testimonium verax
referre pubis, gentium quot in vultu
et orbe coram publicamus ingenti.
Tui quod est nati super, tuum non est.
Hæc ossa, nostra vendicat sibi Lipsis
laudemque mundus, spiritum pater cœlum.
Tuus redibit filius tibi numquam.

12. Ad Animum Beati.

Sacer o anime, novitie socie superum!
Quibus ego misere gemo latebris?
Ea nova nitida domicilia tua, meis
inibique tua levia sola gravibus
premere aveo pedibus. Ubique vagor, ubique sto,
ubique vocito, nec ubique reperio.
Celer abit in ea supera loca: madido
quod ego pede nequeo, sequar oculo.

13. Dolor.

Ah mihi! te super ah! quas ah! non sentio plagas!
Quas miser ah! patior, sed sine morte neces!
Aspera continuos crux hæc edurat in ictus.
Me veniente die, me fugiente ferit.
Hei! neque scit dolor ille modum, dolor ille dolores
mille novos simili cum feritate parit.
. . . . . .
Maximus hei! dolor est, non doluisse satis.

*

13. 1 quos Hs.

14. Hominis Vita Dolor et Labor.

Ambo neces hominis pugnant de munere palmæ,
de potiore dolor, de meliore labor.
Hic ait: a primo nascentem vindico partu.
Ille, sed a prima vendico luce mihi.
Hic: sum te potior, quia non in morte recedo.
Hic: ego te, quia nec morte recedo, prior.
Consererentque manus, una nisi voce probarent:
et dolor et labor hoc sunt in agone pares.

15. Ad Octobrem.

Sanguinolente pater, languenti morbifer anno
idemque crebræ sontica caussa necis,
ergo meis etiam crudelis amoribus obstas
et mihi tam charum corripis ense caput?
Hoc nec docta tibi juvenis florentis imago,
nec vetuit nostræ nexus amicitiæ.
Quicquid agis, crudelis agis. Crudelius in te
hæc mea, quicquid aget, penna vibrabit opus.

16. Ad XVII. Kal. Novembres, Glogero meo exitialem.

Et tu furva dies, qualem non credo fuisse,
quum cecidit fatum Pyramus ante suum,
non te felici Titan aspexit ocello,
sed grave fatalis stygma furoris habes.
Tempora te reprobent, cunctus te nesciat annus,
rejiciant titulum secula cana tuum;
at mihi funesto mordeberis ore quotannis,
nec mea tam nomen charta docebit atrox.

17. Ad Lunam.

Umbrarum ocelle noctiumque pupilla,
serena puro quæ nites in argento
et promiconda luminis peregrini
major minorque facta fratris obtutu,
diversa semper, nullibi tibi constans,
calliginosis immines poli valvis,

et immutata luce cuncta profundis.
Quid imperatrix millium catervarum,
quid aureorum mille militum turmis
stipata, plenum porrigis polo vultum
cursuque lassa languensque quærendo
inane, discolor tibi, quatis cœlum?
Abi misella; vixit ille, quem quæris.

18. Ad Suavia Mea.

1631. Nov. 12.

Sylv. VIII. Vorrede.

19. In Liliam, Amores Jani Georg: Schilachi.

Rideo cum lacrymis, nostros ubi rimor amores.
Sic mihi bisgeminas res parit una vices.
Lactea cæsiolis tibi Lilia ridet ocellis,
purpurea quondam fronte Rubella mihi.
Quam mea lethifero fodiuntur pectora telo,
dum frueris, fructum me quod inante scio.
Mox madido sicci saliunt e lumine risus.
Ne mirere: tibi rideo; ploro mihi.

20. De Iisdem Ad Eumdem.

Et memini placuisse pari mihi more Rubellam,
jam velut est oculis Lilia chara tuis.
Sed meminisse nocet, dominæ dum lumina mulces,
quodque tenes, quondam me tenuisse piget.
Absit, ut invideam. Tanto tibi numina placo,
quam cupiam fato posse priore frui.
Hoc unum perpende velim, quam morbida res sit
cernere præ pedibus dulce, nequire sequi!

21. M. Steyero Propempticum.

1631. Nov.

Is, o! o! et mea vita, vale! Mihi linquis inane,
nec retrahunt dominum brachia nota suum?

*

17. 7 mutata Hs. 13 illa Hs. 19. 6 fructum nec mihi Rubra dabit Dr. 20. 3 cum lumina Dr.

Sic lacrymat tua sponsa tibi, sic lassa quiritat,
jugera dum patriæ Chloridis ire paras.
Ajo, sile, mea virgo, sile, mea desine questus,
non etenim tantum quod lacrymeris habes.
Ibit et, et tua vita pia cum sorte redibit;
ivit, at æternum non mea vita redit.

22. In Obsidione Lipsica MDCXXXII.

Jam mœstæ rediere vices, rediere phalanges,
omina quæ nostro læva fuere solo.
Fortior imbellem magis igneus hostis in urbem
barbara tartarica grandinat arma manu.
Fulminat et totis intentat funera muris.
Quis vetat, urbs unum pulcra cadaver erit?
Sæva novo me fata malo damnant: meus ille
murus abest: nudus præsto. Tyranne, feri.

23. In obitum Danielis Rudigeri, Medici campestris regii, qui paucis a reditu in patriam diebus febre petechiali occubuit Lipsiæ.

1632.

Blandus amor patriæ juvenem mulcebat. Is, o jam,
jam nunc te cernam, patria Lipsis, ait.
Venerat; at patriam patria quæsivit in ipsa.
Pande mihi patriam, dixit, Jova, meram.
Pande tuam, dixit. Cœlum mox pandit Jova.
Et tibi, quo venias, mors erit, inquit, iter.
Dicite jam, socii, patriam dum lassus anhelat,
non obit in patria, verum abit in patriam.

MANIUM GLOGERIANORUM
LIBER VI,
IN QUO LACRYMÆ.

Fehlt.

MANIUM GLOGERIANORUM

LIBER VII,

IN QUO

TUMULI.

Devotissimo Patri Martino Munsterbergero Ecclesiarum Evangelicarum Per Russiam Protodidascalo Præposito Pio, Sincero, Inculpabili, Episcoporum Exemplo Nato Inviolatæ Necessitudinis Obsidem Librum Hunc Inscribo Paulus Flemingus Sanctiss. Capitis Cultor.

TUMULI.

1. Sta, Viator, et lege, hoc te volunt. pii Manes Theodori Mœstelii, J. U. D. Electoralis Scabinatus Assess. et Senioris, Viri magnæ dexteritatis et autoritatis, cui Lipsiæ obeunti Ao. Ætat. ... Æræ Christianæ MDCXXIX. Meriti honoris caussa H. P. V. P. Flemingus.

Legisti? bene est; abi.

Mœstelius, summi nomen prælustre senatus,
famosi similis filius ille patris,
quem coluit princeps, et, dulcia nomina, cives,
huc posuit magni corporis exsuvias.
Curia triste gemit. Patronum luget ademptum
fervida clamosi caussidicina fori.
Quis dubitat, merito felix potietur olympo?
Ante Deum caussam nunc agit ipse suam.

2. Mariæ Julianæ L. Baronis Schœnburgiæ Tumulus.

1629.

Exue terrenam, cœlestis Julia, sortem,
indue cœlestem, terrea virgo, statum.
Nil tibi solvit humus. Tibi debebat olympus,
terra tibi cœli pignus et obses erat.
Quem dat Amor thalamum, tumulum facit improba Clotho.
Hoc Erycina tibi fit Libitina modo.
Quem cupis, i, pete sponsa torum, sed sola marito,
viva cui mors est non cito posse sequi.

*

2. Der Dr. fügt hinzu: Obiit in arce Hartensteinia patria MDCXXIX.

3. Eusebius Lasmannus ... Theologi et ... Fil. patriæ professionis æmulus juvenis, mortalitatem exueb. Lipsiæ d. .. M. ... A. MDCXXIX.

Consanguineis et amicis serio flendus, ex his maxime S. P. Flemingo, quem unum præ aliis singulariter colebat. Qui debiti amoris e. h. illi p.

O vita longa vilibus, bonis brevis!

1629.

4. Trinitat. O. M. Sacr. Balthasari Hilschero Theologo eximio ac singularis zeli concionatori, quod ipsa pietas et auditorum desideria flagitant, hoc monumentum observantiæ ergo P. Flemingus exstruit.

Justi fulgebunt, sicut stellæ.

1630. Sept. 13.

Si quis erat vatum longo dignissimus ævo,
hoc, Hilschere sacer, tempore dignus eras.
Horrida præfractæ taxabas crimina gentis,
facta fuit monitis mitior illa tuis.
Jam sed obis, ubi summa tui foret usio nobis.
Directore dies non caret ille Deo.
Nos ne pœniteat per te, pater alme, melorum,
puniat et nostrum sævius ille caput.

5. Famæ Ac Perennitati Nobilis et Ingeniosiss. Viri Joannis Hermanni Scheinii, Musici incomparabilis, quam per hanc tabulam orbi intimat, sæculo indicit P. Flemingus, inclyti viri virtutum mirator. Obibat Lipsiæ Anno Messiæ MDCXXXI d... M.... annum agens XLI. Ora pro eo, Viator, et abi.

1630. Nov. 19.

Expressisse tuum te, Scheini splendide, nomen,
quis fuit in nostra, quem latuisset, humo?
Dulcia suavisoni prostant tot carmina plectri,
queis seræ monstrum posteritatis eris.

*

5. 4 Lies: MDCXXX. 5 Lies: XLV.

Nunc radiatilibus radiatilis ipsemet astris
additus ætherium spargis abunde decus.
Post mortem meritum, post funera fama probantur.
Ingenio partus nescit obire decor.

6. Juveni Nobili Et Polito Matthæo Paullo Vezero, Norico, magna quæque spiranti ingenio, quem in medio studiorum cursu mors rapuit Lipsiæ P. Flemingius amico capiti Pos.

Ut vivas semel, morere semper.

1631.

Ægra laboriferæ quid amas tam tempora vitæ?
Quin magis in nostros, o homo, tende dies!
Fluxus in ancipiti trepidat discrimine mundus.
Hic bona durantis firma salutis habes.
Me juveni, propero pede, juvit abire sub ævo,
nec potuit facti pœnituisse mei.
Fac, quod ego, memor atque mei lege verba sepulcri,
ut documenta tibi sint monumenta mea.

7. Sacr. Christo Redemptori Et Felicib. Manib. Georgii Glogeri Sil. Juvenis Omni Virtt. Genere Politiss. Cui In Manib. Exspiranti Paulus Flemingus Incredib. Luctus Desiderique Plenus Incomparabilis Amicitiæ Sign. H. Pos.

Vixit Flos Hominum Annos Non Totos II. De XXX Obiit Lipsiæ D. XI. Cal. IXbr. Anno Salutis MDCXXXI.

Vale, Desideratissime Mi,
Vale Et Ave.

8. D. S. Bartholomæus Mayerus, Theologus, ad D. Nicolai Diaconus, Vir singularis doctrinæ et pietatis, postquam in vivis fuisset annos XXXIIX. beate excessit Lipsiæ Anno gratiæ MDCXXXI. d. 19. M. Oct. relicto post se sui omnibus desiderio. Præceptori dexterr. debens merenti pos. P. Flemingus.

Beati Mites.

Theologæ palmare decus, Mayerus, arenæ
illa cavernosæ mœnia moles habet.

Stabat ovans dignosque Deo solvebat honores;
ibat in hoc uno Lipsia læta viro.
Nunc stat, acerba gemens, simili miseranda dolore.
Dum stetit, illa stetit; dum cadit ille, cadit.
Ne fle, chara parens. Placabat numina vivus,
mortuus officium non sinet ille suum.

9. Epitaphium Godefredi Raspii.

1632. Anfang.

Ductus per omnes dignitatum formulas,
quæ musicum decent virum,
mortalitatis Raspius fæces suæ
hoc ingeri jussit cado.
Tu quisquis astas et videndo me legis,
legendo forsan et gemis,
allacrymare guttulam fletus tui.
Hoc siccus humor te rogat.

10. D. O. M. Anna Genere Liscka, Matrimonio Schilacha, Petri Conjunx Opt. Septem liberorum mater facta Maritum præcessit Torgæ XVI. Jan. Anno MDCXXXII. Nata Annos Duodequadraginta.

P. Flemingus Matri desideratiss. Joan. Georg. Schilachi, Amici Veri St.

Disce Mori.

Mortua quam bene sim, potius sed, quam bene vixi,
vel bene tam positi dixerit urna cadi.
Qui bene decurrit, bene qui quoque transigit ævum,
ille meret placidam post sua fata scrobem.
Quæris, amice, meæ modulum vitæque necisque?
Eloquar, ut vivas, ut moriare bene.
Tota mihi mea vita fuit meditatio mortis;
et semel ut morerer, mortua sæpe fui.

*

9. 3 Respius Dr. 4 congeri Dr.

11. D. Deor. S. Petrus Schilachius Torganus, Civis et Senator primarius, conjugem desideratissimam sequebatur in patria quadragenarius A. incarnati verbi MDCXXXII. VI. Cal. Febr.

P. Flemingus Pos. in gratiam J. Georgii, B. Petri F. Amici unici.

Cætera, queis homines mortalia nomina parent
cogunturque truci succubuisse neci,
ossa, caro, sanguis totumque solubile corpus,
hac sub saxosa condita mole jacent.
Ast honor in superos, amor in pia nomina, cives,
in patriam meritum pars meliorque viri
non ulla clauduntur humo. Sint, quæris, ubi nam?
Singula si satagis quærere, quære polo.

12. Gustavi Magni, Suecorum Regis.

1632. Nov. 6.

Alma cui si vita duci, si nobilis ulli
alma fuit, fuit et nobilis illa mihi.
Fausta cui si mors itidem, si vivida regi,
vivida mors itidem, fausta fuitque mihi.
Vixerat in toto me vix animosior orbe,
me laudabilior non cecidisse potest.
Confudit se vita neci, nox vivida vitæ:
dic, potuisse mori me, nequiisse tamen.

13. D. O. M. S. Samueli Michaeli Dresensi, Lips. ad D. Nicol. ab Organis, Arti ficisui sæculi primario, Amicitiæ et hon testando Pos. P. Flemingus.

Obiit. A. Salvat. MDDXXXII. M. .. D. .. Ætat. ...

Vive, Viator, ut vivas.

Non vilem tegit urna virum. Sta cominus, hospes,
et lege vicinæ tmemata pauca graphæ.
Ille per insignem, solus qua polluit, artem,
credibile est, ipsi complacuisse Deo.

Hic ubi non multos cœpit florere per annos,
ivit ad ætherias lætus ab orbe domos.
Tinnula vocalis nunc temperat organa cœli,
quodque solo cecinit, nunc canit ante Deum.

14. Tumulus Matris.

Hoc, tibi quod statuit dilecti gratia Paulli,
chara parens, summi suffer honoris opus.
Ille sui dum puncta pius reminiscitur ævi,
non valet officii non memor esse sui.
Ac quanvis ignota tuæ signacula formæ
defleat, in cineres non minus æquus erit.
Quam puer invisam queritur se perdere matrem,
cernere se vivam nunc in amore putat.

Christo Vivificatori S. Elisabetha Fischera, Fœmina ad exemplum pia et honesta, Abraami Flemingi Theologi Conjunx exoptatiss. moritur A. salutis MDCX. Mens. .. D. .. Ætat. .. Matri desideratissimæ, de facie non notæ, Pietatis et memoriæ ergo posuit P. Flemingus justo dolore plenus filius.

15. Fœliciss. memoriæ Ehrenfredi Scriboni, Sil. Juvenis specie et eruditione politiss. qui e vivis abscessit Lipsiæ, quo studiorum caussa migraverat, d. .. M. .. Anni salutiferi MDCXXXII. Quum ageret ætatis XXII. P. Flemingus, eo, quo Silesios suspicit, affectu L. M. Q. P.

Quem Deus diligit, juvenis moritur.

Si quis erat facie multum speciosus et arte
atque probans veram per pia facta fidem,
hic erat, hac tenui qui condebatur in urna,
quem procul a patria Parca necabat humo.
Solliciti spes sera patris, genitricis amores,
quam longe a charis concidit ille genis!
Quæ sed uterque parens morituris oscula labris
debuit, hæc votis confer, amice, tuis.

16. Seni Docto et Diligenti Georgio Engelmanno, Organistæ academico et urbico, bonæ memoriæ ergo statuit P. Flemingus. Vixit annis ..., devixit Lipsiæ A. Christiano MDCXXXII.

Morere, ne moriare.

Angelicos similis comes Engelmannus in orbes
nunc satis optato funere raptus ovat.
Ille satur mundi solum sitiebat olympum,
solum cælestes esuriebat opes.
Dulcia sidereæ gustat jam fercula mensæ
siccaque nectareo proluit ora mero!
Nec deerit tanti dulcissima musica festo,
ipse potest melici pars gravis esse chori.

17. Nisi nimis properas, viator, me intuere.

Optimus et magni nominis senex. ... Bütnerus, Ictus nobilis, e vita abiit Lipsiæ MDCXXXII. Natus annos L. ..

Communi civitatis et consanguineorum nomine hæc Illi posuit Paulus Flemingus.

Licet modo abeas, hospes, huc tamen aliquando redibis.

Juris honor Bütnerus erat, spes certa clientum
mentitique salus non revocanda rei.
Cana fides albo niveum de vertice fulsit,
se pietas oculis induit ipsa viri.
Tanto nunc toti funestior illius urbi
mors fuit, hic quanto charior esset ei.
Nomen in orbe volat. Patriam mens occupat æthram,
hic sua consumpti corporis ossa cubant.

18. O. Deo S.

Si pietas, si plebis amor, si vota mariti
et nimis ob matrem pignora mœsta suam,
quicquid et est hominum, supremæ jura diei
solveret, huc, hospes, non tumulata forem.
Nil facit ad minimam vis ulla dolusve salutem,
provida nil medici praxitelea fori.

Quum tibi tam rigidæ sint cognita pectora mortis,
quid nimis in fato fidis, homulle, tuo?

Matronæ pientiss. Joannæ Creftæ, Eduardi Becceri, Senatoris et Negotiatoris primarii, conjugi amabiliss. laudatæ in maritum et liberos observantiæ fœminæ, libera voluntate erigit P. Flemingus Lipsiæ.

Me vivam fuisse memini: tu, hospes, aliquando moriturum te recordare.

19. Heus, hospes! Vox te vocat, sed per scriptionem. Lege, et audies. Andreæ Bretschneideri, Pictoris celeberrimi umbra sum; me tibi loquentem fecit Flemingus. Tantum scias, ne nescias.

Hic jacet Andreas, Misii Rubenius orbis,
nobile Parrhasia nomen ab arte merens.
Vidimus artificis præstantia pignora dextræ
quasque labor mentis non tulit unus opes.
Miratura suum fuerat jam Græcia Zeuxem
parcius, antiquæ viluit artis honor.
At tu, quid crudis oppones, rustice, fatis,
si tam divinæ nil habuere manus?

20. Christophoro Schürero, Patritio Lipsensi, maximæ spei juveni, in familiæ ornamentum nato, sed nimis quam propere denato, ubi ardente febri septiduum decubuisset Lips. d... M... A. æræ ... Ætat. .. ex voto consanguineorum P. Flemingus Pos. Præivi, viator; tu sequere.

Transitus est modo, mortales quod obire vocamus,
nec mors tam dura voce notanda fuit.
Exitus est gemitus et finis sana malorum,
introitus veri principiumque boni.
Hic nec obit, sed abit, vitrico quid cedit ab orbe,
sed migrat ad patrios et redit inde polos.

*

19. 1 nostri Rubenius ævi Dr. 5 Teuxem Dr.

Quum possis hospes rediturum scire jacentem,
hunc abiisse quidem, non obiisse puta.

21.

Nox est omnibus una dormienda.

Quicquid ait, negligenter ait, de nomine mortis
esse sub hoc positum flebile quodque putans.
In nece nil necis est, præterquam nomen inane,
nec mors tam rigidi, quod paveatur, habet.
Fessa velut placido merguntur lumina somno,
sic artus sepelit longior ille sopor.
Hoc, hospes, reverenter habe, nec tunde sepulcrum,
nec dormire situm, sed vigilare puta.

22. D. Exercituum S. Samuel Seidelius Vratislavius, Juvenis Arte Marteque Nobilis, Quum Pro Recuperanda Arce Plissenburga Excubias Agens, Strenue Omnia Prospiceret, Ab Obsesso Milite Sclopeto Petitus, Obiit Lipsiæ XIIX. Kal. Jan. Anno Æræ MDCXXXII. Ætatis Suæ Circa VI. et XX.

Quei? cum Mars timuit per apertum cernere campum,
hac quoque mortalem se ratus esse manu,
heroas invidit opes juvenilibus ausis,
purpureum sparso sanguine ferre decus?
Insidias tuto struit ignarumque duelli
turpiter infamis clam necat ære globi.
At tu, cor juvenum, magis hoc cadis inclytus, in te
quo magis imbellis perfurit ira Dei.

P. Flemingus P.

23.

Cernite me pueri juvenesque virique senesque,
cernite virgineis cum faciebus anus.
Non tumulus, speculum sed hoc est, quod adesse videtis.
Me vobis, mihi vos una tabella refert.

*

21. 4 rigide Hs.

UNIV. OF MICH. Commercial Microforms 1986

Lucet in omnigenas fax illa reciproca vultus,
quilibet hic, placeat quod, quod oditque, videt.
Sancta fui, sed ab orbe fui. Discedite, docti,
mendaque per nævos radite vestra meos.

24.

Vita quid est hominum, nisi continuatio mortis?
Et, nisi natus eras, non moriturus eras.
Una tibi mortis mors caussa, salutis et una.
Una tibi vitæ vita necisque via.
Omnia non finit pereuntis terminus ævi.
Est aliquid, quod habet post tua fata moram.
Esto memor, dum vivis adhuc, quo vivere possis,
disceque, dum moreris, ne moriare, mori.

25. Tumulus Polycarpi Lyseri, Summi Lipsensium Episcopi.

Et tu prætereas, hospes, tam nobile saxum?
Quod vetet in cineres relligiosus honor.
Huc posuit dominæ facunda tonitrua linguæ
Lyserus, cathedræ, Lipsia, suada tuæ.
Omnia jam dixi, sed ut omnibus omnia jungam,
addam marmoreis carmina bina notis:
Si. Pietas. Candor. Doctrina. Modestia. Suada
Oppeterent, Omnes Hac Tegerentur Humo.
Obdormivit In Domino XIIX. Cal. Februarias Anno Gratiæ XXXIII.
Supra DC. Et M. Ætatis XLVII.

26. Obitus Jani Guntheri Medici.

1633.

Occidis et placido componis lumina somno,
sancte senex, patriæ lausque decusque tuæ,
nec subitum remorantur iter cum conjuge natus,
nec Cous et medici praxitelea fori,
hæcque, peregrinæ solers prodesse saluti,
deficit infirmæ languida dextra sibi.

*

25. 6 marmoreis addam Dr. 8 Für Obdormivit In Domino hat Dr. Lipsiæ.

Sancte, jace, victure brevi, quum clanxerit olim
ultima sidereo buccina sumpta choro.

27. Epitaphium Joannis Lœseri Junioris.

1633. Aug.

Lœserus cubat hic magna de stirpe Joannes,
Misniacæ celebris nobilitatis amor.
Ille tener primis puer, hei puer! occidit annis.
Ah! quam planta nimis solstitialis erat!
Luxerunt Charites, teneræ flevere Novenæ
atque cupidinei cum genitrice chori.
Dumque gemunt, simul illa sonant: Puer, cecidis, ingens,
ætas cui similem non habet ista virum.

28. Georgii Ossæ, pii et frugalis Senecionis.

1635.

Sancte senex, puri simplex servator honesti
et nihil atque tuum doctus amare Deum,
postquam fractus eras annis et mole laborum,
orbis et, et vitæ jam satur, æquus obis.
Primus evangelicum, patiente Ruthenide, Christum
fassus es in mediis, pulcer ab ore, Scythis.
Quam statuisse tuus tibi debuit accola tumbam,
hanc peregre veniens sic abeundo loco.

Docuit Moscuæ annos retro bene multos, officio tandem ex senio inutilis factus, communi eleemosyna allevatus occubuit MDCXXXV.

29. Epitaphium Elisabethæ Paullæ. Revaliæ.

1635.

Posse potes, si velle velis. Sta cominus, hospes,
et lege marmoreis paucula scripta notis.
Paulla toro, Müllera domo, tegor intus Elisa,
occubui quarto fracta puerperio.

*

27. 1 magna virtute Dr. 2 Misenæ Dr. 7 simul ista Dr. 29. 3 Paula ... Mollera Dr.

UNIV. OF MICH. ... Commercial Microfilms ...

Chara patri, dilecta viro, gratissima natis,
nunc cum patre viro pignoribusque dolor.
Vir mulierve, meæ scitis qui tempora vitæ,
discite de vestra, fœmina masque, nece.

30. Jacobi Andreæ Graulii, Patroni quondam domestici.

1635/36.

Cedis, o eloquii ter clare professor Ebræi.
Ingemit Ositiæ musicus ordo scholæ.
Consona præteriens hoc audiit aura mihique
illud in Esthonicis significavit agris.
Te super haut potuit Lipsis quem cernere flentem,
vidit in Harriacis urbs lacrymare jugis.
Et mœrens merito memoris tibi marmoris instar
hoc in apollinea carminis æde lino.

31. Inter Beatos Felici Jano Burcardo, Medicinarum apud Revalienses Patrono.

1636. März.

Vix egressus eram vestra peregrinus ab urbe,
egressus quoque tu diceris urbe tua,
sed pede diverso. Solum urbs mihi vestra relicta est,
nec tua te nunc urbs, nec meus orbis habet.
Nil medicum bene certa suum panacæa levabat,
deserit artifices ars ita sæpe suos.
Qui prior in terris, cœlo nunc pharmaca misces.
Ut sequar, hæc prompta mox mihi trade manu.
Amico Capiti Merenti Mœrens Flemingus Pos.

32. Tumulus Ursulæ Coleræ Novercæ.

1637/38.

Matronale decus, muliebris gloria sexus,
fœmina laudatæ simplicitatis amans,

*

31. 7 nunc nectare potus, Jane, secuturo præbibe nectar idem. Amico capiti Flemingus Pos. bene merito mœrens. MDCXXXVI.

fida viro, dilecta tuis tibi sanguine junctis
et numquam natis improba, quam quod obis,
languidus hanc matri tibi filius erigo tumbam,
præsentes statuant quam pater atque soror.
Et lacrymas hæc verba putent aliquando fuisse
inque sepulcralem sic riguisse petram.

33. Justi Lipsii, viri inimitabilis.

Justus ab injusto decessit Lipsius orbe.
Digna viro superi justa parata Dei,
credere si fas est, superos quoque justa parare,
si fas est ipsis justa parare diis.
Quicquid in æterno cœleste vigebat olympo
incorruptibili clausit hic omne sinu.
Impia sit nisi vox, hospes, nisi dura, faterer,
mortalem sub ea scrobe jacere Deum.

34. Julii Cæsaris Scaligeri.

Staret ad infernum Scalanus dum maximus amnem
jamque Charonteam vellet inire ratem,
ilicet umbrosæ nituere superbiter ædes,
nec memor officii nox fuit ipsa sui.
Dis pater obstupuit, Ditis atque nigerrima conjunx,
Cerberus ad radios cœcutit usque novos.
Splendet in Elysio, Clariæ, sol noster, olympo.
Fulgurat hinc tenebras vester Apollo meras.

35. Josephi Justi Scaligeri.

Suspirant Celtæ, Belgæ grave quid singultant,
Europamque omnem mœror hiulcus habet,
dum fugis et fluxo, pie Scaliger, excidis ævo,
quod stiteras forti jam prius ipse manu.
Nil deerat cœli, nisi quod te terra teneret.
Exuis hinc hominem, induis inde Deum.

*

35. 7 Brunni Hs.

Quæ cadit et tecum moritur, domus inclyta Berni
surgit et a fato vivit, ut ipse, suo.

36. Jodoci Hondii, Geographi celeberrimi.

Arcticus ingemuit, flevit Antarcticus axis,
ivit et in madidis orbis uterque genis.
Nec solum nos ille tui dolor, Honde, peremit,
pressit et antipodas crux ea sæva tuos.
Quas pede, quas calamo per humos iit Hondia cura,
esse memor tumulum sensit ubique suum.
Terra jacet vasto complexa sepultaque cœlo,
Hondius in terra se legit ipse sua.

37. In Funus Soceri Cujusdam sub generi persona.

Absumus et, charis dispulsi finibus, ægri
triste per ignotas cogimur ire vias.
Chare socer, venerande senex, morientia claudis
lumina, nec reditus fata morare mei.
Solvimur in lacrymas et hiulcas findimus auras;
sic tua mors genero digna gemenda suo.
Tam mihi præsentes figunt tua funera mortes,
quam procul absenti me, super orbe, cadis.

38. Ad Hospitem Sepultus Loquitur.

1640.

Fortunam vultu geminam cordatus eodem
æquanimis didici sustinuisse fibris.
Dives inopsque fui rebusque extorris avitis
exilium patria pro pietate tuli.
Phœbi totus eram, nulli malus, omnibus æquus
et juvisse bonos, nec nocuisse malis.
Immaturus humo cessi, maturus olympo.
Ex me, quo possis vivere, disce mori.

39. In Mortem.

Scilicet egregium meruisti, clara, tropheum,
aque triumfato nobilis hoste redis.

Martia, quem tentas? juvenem. Quem sternis? inermem.
Quem jugulas? plenum pectus amore mori.
Non hostis, sed amicus erat. Quid tela? quid arcus?
Devotum subigis succubuisse latus.
Dicite, nam meruit, juvenes, io! carmina morti.
Scilicet a victo dum redit, ipsa perit.

40. Ad Flores.

Vos quoque fœcundæ nascentia pignora matris,
cura verecundi deliciosa patris,
ite, croci, violæ, nardi, thyma, lilia, spicæ,
ite libanotis, tulipa, ruta, rosæ.
Ite per et lacrymosa mei monumenta sepulcri,
mœsta per et vestri busta nitete ducis.

41. Cenotaphium.

Turgida regalem sustollat Caria tumbam,
jactator celebret nobile Nilus opus.
Splendida marmoreis struat amphitheatra columnis,
cedet et in magnas nomina jussa petras.
Hoc faciat, quicunque volet. Tua nomina, chare,
quodque tui reliquum, fida papyrus habet.
Saxa situ chalybesque cadunt, stat terminus auro.
Jugia quod nequeunt carmina, charta potest.

42. Epitaphium.

Flos pietatis, apex fidei, canon artis, honesti
trutina, candoris regula, norma spei,
virtutum facies, morum gena, lingua leporis,
pectus Aristotelis Hippocratisque jecur,
os Heliconiadum, Venerum cor, ocellus Amorum,
fama juventutis, laus patris, urbis honor,
nex necis, inferni tortura, salutis origo, —
plura, viator, aves? Hic quoque plura jacent.

43. Ad Lectorem.

Plurima tam varii lustras monumenta sepulcri
et legis ærumnæ nomina mille meæ.
Nomina mille legis, sed nomina mille supersunt,
quæ vox, quæque loqui litera nulla potest.
Hunc, lector, quoque cerne tholum, quoque cerne figuram
et cape præsenti verba notata grapha.
Heic jacet infausti desiderium Flemingi,
cum desiderio rectius ille suo.

44. Ad Apiculas.

Rorilegæ volucres, rosei gens civis Hymetti,
nectaris artifices ambrosiæque deæ;
Enna, vel Etna, vel Hybla suis vos curet in arvis,
linquite et in melius præsto venite solum.
Alvear hic vobis, hic mel, hic cella parata est.
Heic decus, heic fœti ruris abundat odor.
Sique quis egelidum mecum deflebit ephebum,
huic celeri vestros promite dote favos.

EPIGRAMMATA.

EPIGRAMMATUM

LIBER I,

SIVE

CŒLI.

Almæ Matri Universitati Lipsiensi Devotissimæ Reverentiæ Pignus Sacro Paulus Flemingus Variscus.

CŒLI.

1. Helluo, Lazarus.

Lazare, pro lacrymis hilarem capis æger olympum,
helluo pro risu tartara dives habet:
vixit disparili ceu sortis uterque fluore,
dispare sic hic et hic conditione cadit.
Mirum! Qui miseram vivens obit incola mortem,
hic valet æternum; qui valet ante, dolet.
Quid mihi lætitiæ, quid opes et inania mundi?
Læter ut in superis, flebo sub axe lubens.

2. S. Sanctæ Trinitati.

Fons sine fonte, Deus, caussarum caussa moventum,
quas mare, quas tellus, hoc et inane librat.
Una trias et trina monas, Deus unicus in te,
Qui, cum sis triplex, unus idemque manes.
Mens stupet, est sine patre parens similisque parenti
gnatus et amborum numen ab ore means.
Sancte, potens, miserator, amans, bone, jugis, alumne,
da cito, da faciem cernere posse tuam.

3. Nemo nisi hic peregrinus.

Sum, fateor, peregrinus, ut hunc me, Christe, fateris
esse, nec excelsas incolo verna domos.
Patria me genuit mundus; nunc suscipit æther
mortalique satus jugia tecta colo.
Omne tuæ pietatis hoc est, bonitatis hoc omne est
et, quod gratus idem proloquor, omne tuum est.
Ah! quid non, pie Christe, tuum est, quod habemus egeni?
Ah! noster semper sis, rogo, nosque tui.

4. Adspicite volatilia cœli.

Qua patet ambigui variabilis orbis olympi,
omne volatilium, mens mea, cerne genus.
Nulla serunt et nulla metunt, tamen omnia vivunt.
Nec volat e minimis, quod cadat ante diem.
Angeris atque truci minuis tua pectora cura,
unde velis vitam sustinuisse tuam.
Stulta, tace. Qui pascit aves, qui plumea vestit
agmina, dilectæ non det is illa tibi?

5. Adspicite flores agri.

Qua patet expansæ variabilis area terræ,
mens, vegetabilium per genus omne vide.
Candida lacteolis hinc adspice lilia malis,
hinc rubra sanguineis gramina cerne genis.
Non texunt, nec fila trahunt, neque defit amictus;
tu male de vita roderis ægra tua.
Mora, sile. Qui vestit agros, qui florea pingit
gramina, dilectæ non det is illa tibi?

6. Ego peregrinus ille.

Hactenus ex illis unus sum, Christe, novenis,
qui tua non grata dona tulere manu.
Corporis antiqua tabebant omnia psora,
nec latum digitum, quod valuisset, erat.
Mortis eram, nisi Christe, mihi medicina fuisses.
Convalui; medico nec tibi sostra dedi.
Sis facilis, jam, Christe, fero, quæ debeo, tandem.
Tardus ero, sed enim non male gratus ero.

7. Lucæ X.

Ipse ego sum, Jerichum Solyma petiturus ab alta,
ipse ego sum, multo vulnus ab hoste ferens.
Deserui cœlos et tartara sæva subivi;
hinc moriens stygii præda latronis eram.
Præteriere sacri, me præteriere profani.
Nullus erat, medicam qui mihi ferret opem.

Christe, venis vinoque lavas oleoque perungis
vulnera, non alia convalitura manu.

8. Ego leprosus ille.

Macra venenata coeunt vitiligine membra,
rugosam scabies turpat adulta cutem,
et modo, ni lateat majus, minus ipse dolerem.
Mens quoque sub vitio vix hiat ægra suo.
Nil mihi fatorum dominæ, conducitis, herbæ,
non facit ad nostrum succus olusve malum.
Christe, fac, ut valeam, quia tu panacea suprema es;
ure, seca, munda, frigefac, unge, liga.

9. Grossus amissus.

Grossus eram, nitidi loculis servatus olympi,
in paradeisiaco grata moneta foro.
Circuiere diu, donec me fraude valentes
clam domino fures surripuere Stygis.
Clam patre surripior, me filius invenit ultor,
invenit et primo reddit honorus hero.
Ite, procul, fures; ego, gaza reperta, triumpho;
porroque ne timeam, vos periisse scio.

10. Ovis perdita.

Pastor oves numerat, sed qui tenet aera, pastor
Computat, at numero deficit una suo.
Pascite nonaginta meæ, dum quærimus unam,
inquit et amissum quærit ubique pecus.
Quærit et errantem sub eremi sentibus agnam
bajulat in proprium pastor ovile bonus.
Una ovis illa ego sum, stygiis male perdita tesquis:
quod redeo, studio debeo, Christe, tuo.

11. Hosianna.

Christe, venis et euntis eques male pulcer aselli
carmen oliviferæ nobile pubis habes.

*

7. 8 convaliiura Dr.

Illa salutigera consperserat omnia palma,
omnia substrata sparserat illa toga.
Hic nitor, hæc species, decus hoc te, Christe, decebat.
Tale tibi, Jesu, conveniebat epos.
Rex pie, rex facilis, rex rege fidelior omni,
mirus ut es, tibi sic nil, nisi mira, placet.

12. Nicodemus.

Falleris et stolidi similis gregis ipse magister,
doctor es et fidei vix elementa tenes.
Auscultante pium tamen aure fateris amorem,
nec placet inscitiam dissimulare tuam.
Sacra agitas, divina rogas, mysteria quæris.
Nil nisi de magnis mens tua rebus agit.
O bene discipulo tibi! Te docet ipsa Sophrone.
Quam tibi perpetuum nox dedit illa diem!

13. Jesu Christo desiderio meo.

Linguaque, mensque tuo certant super, Optime, cultu,
hæc gemit, assiduis vocibus illa vocat.
Hinc pretium laudis majus putat illa mereri
quum vocet; hæc tacita vix prece mota fleat.
Hoc ubi non fieri videt illa, silescit ob iram;
dumque tacet, gemitus duplicat ista suos.
Christe, tuo nihil hinc periit, nihil asse peribit.
Clamitat hoc magis hæc, quo magis illa tacet.

14. Resipiscentia.

Et piget et pudet et tædet vixisse nocenter;
cujus vel solum me meminisse necat.
Nec super est aliud pessum solamen eunti,
quam spes in merito, Christe Jehova, tuo.
Fac, precor, ut salver, nam tu salvatio mundi es,
ipsa perit per se te sine cuncta salus.
Quid nisi peccassem, mihi tu concedere posses,
Christe, redemptorem me redimendo proba.

15. Cœna Domini.

Hei perii! Cum seducto sum pransus Adamo.
Ut beer, ad cœnam transeo, Christe, tuam.
Pastus eo vacuo, titubo bene potus inani,
ebrius inde siti sum, satur inde fame.
Hinc sitis hæc, hinc ista fames, quæ clamat olympo:
Te sitio, atque tui mens fame pressa gemit!
Illa mihi nisi daps hanc incussisset orexim,
deficerem tantas non sapiturus opes.

16. Adventus.

Suspirate diu, tamen expectate per ævum,
necquicquam, tandem jam, pie Christe, venis.
Christe, venis: venit alma soli salvatio tecum
et polus et quicquid scit geniale polus.
Nempe venis ad nos, ad te veniamus ut omnes;
nos, ut te per te nos adeamus, adis.
Ah! bone non sat erat monstrasse viantibus orbem,
ipse venis ad te ductor et ipse via!

17. De Jesu.

Magnus, at in parvo vilescit corpore Jesus,
parvus, at in magno numine Jesus adest.
Magnus adest animis, sic nos defendit ab orco,
sic redimit miseros, corpore parvus adest.
Talis erat primo patri prævisus ab ævo,
ut posset nostras ferre patique vices.
Adspice nascentem, morientem conspice; dices:
Ille fuit minimus, maximus ille fuit.

18. Ad latronem dextræ.

Sancte latro, pendens salvandi tabula mundi,
quam caderes felix, ni paterere miser.

*

17. 8 illi Dr.

19. Sinistræ.

Ast tu schema ferox, specimen Stygi pensile sacrum
et jamjam Furiis dilaceranda cutis;
gaudia Tisyphones et Alectus jubilus atræ,
jacchat in exitium læta Megæra tuum.
Vile cadaver obis, scelus orbis, Erinnia pestis,
debita jejuno cœna futura cani.
Luditur hic tecum: nihil hæc crux, hic dolor, hic mors:
ille dolor, dolor est, qui sine morte necat.

20. Pæan paschalis.

Victor ab inferno rediit Deus; exere, Titan,
dulce caput, radiis lux micet orta tuis.
Orta micat lux omnis humi, lux omnis olympi,
propulsat tenebras lampadis igne suæ.
Ite polo, stellæ, nec enim nox ulla redibit,
post erit una dies, Cynthia, cede polo.
Quin magis ipse veni, pole, post novus incola terræ,
cumque tuo rediens nos fer in astra Deo.

21. Triumphus Christo resurgenti.

Hic sit honos stygii concultatoris Averni!
Hoc sit epos Erebum diripientis heri!
Flate tubis, pueri, juvenes mera cymbala dextræ,
tinnula virgineæ sistra rotate manus
atque tonos miscete sonis, queis grandior ætas
ora præit, dominum vociferando decus.
Hic sit honos stygii conculcatoris Averni!
Hoc sit epos Erebum diripientis heri!

22. Amore Jesu langueo.

O amor, o quantis torres mihi viscera flammis!
O amor, o soboles et pater ipse Dei!

*

22. 2 A soboles Dr.

Langueo, nec reficis; pereo, nec, dure, moveris.
Hei mihi! Qua morior, vivere conor ope.
Ah! modo respiceres, modo non, te nolo, referres.
Quam foret ad placidum mors mihi blanda tuum.
Sed, reor, ore taces, ideo faciemque recondis,
ne trepidem sponsi lumine sponsa mei.

23. Surrexit, non est heic.

Ite, piæ ite nurus, neque enim, quem quæritis hic est.
Rupit humi dominus mollia claustra suæ.
Rupit et æthereas abiit redivivus in auras.
Ite, piæ, frustra quæritis, ite domum.
Angele, quid miseras tam tristi voce remittis?
Angele, dic, chari quo pes abivit heri.
Sed bene: si vivit, totum peragrabimus orbem;
aut dabit inventum, si neget ille, polus.

24. Dies dominica.

Thure crepet dominæ cœlo mens plena diei:
emicat, at festo lumine lustrat humum.
Mundanis aliæ, curis vacet illa beatis
adque suum rapiat libera sensa Deum.
Tu prior hunc animum divino percute thyrso.
It manus in jussas utraque juncta preces.
His ea lux veniat, lux his ea transeat actis.
Hæc pia sit, reliquas si cupis esse bonas.

25. Pœnitudo.

O pie vas, cruce qui mea debita, morte luisti,
debita proh! alio nulla luenda modo,
adspice, me stygius male denuo creditor urget,
nescio cheirographum quam recitando novum.
Denuo subscripsi, proh! nam male denuo vixi,
quotque modis cecidi, tot loquor ipse notis.

*

22. 6 mort Dr. 25. 4 novam Dr.

Væ mihi, tu nisi sis, pie mi, pie, subline pactum,
linea quod dirimet sanguine ducta tuo.

26. Excubiæ ad sepulchrum domini.

Excute stertentem, lethargica turba, veternum
et vigil ad jussum sta, quod obitis, opus.
Pes nec ad hoc alius, nec ad hoc manus advena bustum
proruat, aut gemmæ fraus necet ulla fidem.
Stulta, quid exanimi tam sedula prospicis urnæ?
Si, quod tumba habuit, non habet, ito vigil.
Pergin? Quid vacuam cingis vigil ensibus umbram?
Credere te corpus vivere, facta probant.

27. Ascensio.

Tollere, nostra salus, patrioque remittere cœlo,
evolat et tecum noster ovabit amor.
Jam, Deus, æterno quam munere dirigis aram,
nunc cape, divino numine plenus homo.
Astra super, super atque polos et quicquid in alto est,
victor, amans tibi nos quo tuearis, ovas.

28. Votum pro Voto.

Recta mones, mens; justa mones, mens enthea; vovi
et statui magno debitor esse Deo.
Approbet omnipotens pondusque precantibus addat;
nec sibi quod placuit, displicuisse sinat.
Nulla superstitio, simulatio nulla sub hoc est,
nescit hypocriticos optio nostra dolos.
Fac monitum, mea mens, totoque avertere mundo,
quodque tuo debes solvere, solve Deo.

29. Epitaphium redemptori meo.

Sub scrobe qui jacet hac, mors ut moreretur, obivit;
nec tamen e vita, cum moreretur, iit.

*

27. 2 nostar Dr. 3 aterno Dr.

Caussa necis fuit huic alienæ caussa salutis,
hac nisi non poterat vita redire nece.
Munde, quid is procul hinc? Lege cominus istud et ora;
constat in hoc vitam te jugulasse tuam.
Crede, revivisces. Et tu, mea litera perpes,
dic potuisse Deum sic hominemque mori.

30. Pater peccavi.

Et quid diffitear, cum frons mea plena loquatur,
quotque quibusque tibi sim reus, alme, modis?
Stigmata sunt scelerum, quæ singula fecimus. Ustam
his animam frustra dissimulando tegam.
Intima scrutaris, neque te latet abditus error.
Omne tibi patulum cordis abyssus habet.
Ah pater! ah pater! ah! peccavi multus et atrox
ah pater! ob genitum parce benigne tuum!

31. De profundis clamavi.

Mersus ab instabili superobruor undique cœno,
lubrica sollicitum fallit arena pedem.
Jamque bibit sabulum faux suspirantis hiulca,
e vasto surgunt gurgite thura precum.
Nulla manus hominis, genii manus est prope nulla,
audit et obtusum nemo laryngis opus.
Os cadit officio, mens vociferatur et instat.
Quam beat in vigilis clamor hic aure Dei!

32. Miserere.

Certius interitu nihil est, nihil æquius in me,
in me cum toto sit nihil, unde beer.
Unde beer, nihil est; satis est, quo damner, abunde!
Et bona quæ mihi sunt, sunt mala tota Deo.
O Deus, o aciem deflecte benigniter istam!
Sit potior tenebris lux tua, magne, meis.
O Deus, o miseri miserere misertor et in me
mox nihil, ut damner, sed beer, omne cadet.

33. Eucharistia.

Ite meæ Charites volucremque per aeris auram
hæc mea sidereo sistite vota Deo.
Et natum placate patris, quos spiritus ambos
unus inexposita sub deitate fovet.
Dicite: Te noster colit ille coletque perennis,
ille, trias, epuli pars hodierna tui.
Interea mea mens liquidas comes ibit in auras,
ipsa Charis Charisin consociata suis.

34. Parce mihi, domine.

Flecto genu, decusso manus, miserandus et excors,
hæret et in fixa vultus amarus humo,
dum cadit undantum lacrymabilis imber aquarum
et salit ad pulsum cordis hiulca larynx.
Ah! adeo miserum tua me facit ira, creator,
quam meruit vitiis vita scelesta suis.
Parce mihi, mi, parce, precor, nam parcere justum est,
sive mei memor es, maxime, sive tui.

35. Misericordias tuas.

Nullus eram; tuus ex nihilo me sermo creavit.
Parvus eram; crevi sedulitate tua.
Stultus eram; tua me formavit ad optima cura.
Pravus eram; normæ me monuere tuæ.
Mortis eram; vitæ quo redderer, ipse peristi,
et nisi tu fueras, jam Stygis hospes eram.
Tot tua, tot bona, tot pia jugiter auxero facta.
Si mihi quot bene sunt facta, tot ora sient!

36. Ad lapidem in sepulchro salvatoris.

Dure, sed Hebræis lapis undique mollior extis,
dic, tumulo quæ te seposuere manus?
Nulla resignavit ceram vis frausve sepulchrum,
te cingunt vigiles nocte dieque viri.

*

33. 1 aeris aram Dr. 3 buos Dr.

Sed tamen a foribus jussæ semotus es urnæ,
et, quam debueras claudere, pandis humum.
O! quia tam mirum tacet aut negat omen apella,
os fieres, totum quod bibat aure solum.

37. Crucifixo amori meo.

O mea lux, quid in hac te conspicor arbore pensum?
O mea spes, huc te quæ posuere manus?
Cerno pedes fossos, video latus ense peremptum,
intueor capitis spinea serta sacri.
Tende manus, amor, atque veni. Sed o! hæret ad uncos
veraque. Væ animæ, te lacrymante, meæ!
O mea lux, mea spes, mea vita, quis es, quis et es non?
Nam mihi quo fias omnia, mors quoque fis.

38. Michaelis archangeli pæan triumphalis.

Surge tuo, pole, surge duci, prosternere, terra,
et date confusis carmina justa tonis.
Dicite: Io! salve, veteris pie victor hyænæ,
quem per ovant hodie sidera, quem per humus.
Gaudia, lætitiæ, risus festæque choreæ,
nectite plaudentes circumagendo manus.
Magne, triumphantum meriti cape carmen honoris,
utque tibi comites nos coovemus, ova.

39. Venite ad me omnes. Mat. XI.

Omnibus ex illis, ad te quos ire volebas,
unus ego quoque sum, qui tibi, Christe, venit.
Non me rejicies, quum blande vocaveris omnes.
Fac, referam, quam das omnibus unus opem.
En! magis hoc propero, quo me magis urit hic angor,
quo magis ut veniam, concitus, ipse vocas.
Caussa, quod accurram, quod conquerar, est tua, Christe;
quod reficis, quia sum languidus, illa mea est.

40. Nonne decem mundi facti sunt?

Sed male sunt mundi; solo nam corpore præstant,
mens scabie veteri rancet oletque nova.

Ibitis ingrati, vester non ibit inultus
error, ab interna qui male labe fluit.
Vivitis hinc melius, pejus quo morte cadatis.
Nam trahit hoc secum mors quoque vestra malum.
Ægra salus, miserum vita quæ corpus oberras,
morbo valens, animum quæ sine morte necas.

41. Novem autem ubi?

Scis tamen omniscius, nihil ipsa scientia nescit;
scis, ubi deliteant dispereantque loci.
Sed simulas vel tantumque nefas nescire videri
vis, o ingratam languide censor humum.
Quam sedet ad solem, qui sic latet! Ergo, redemtor,
sis bonus et numero ter tria deme tuo.
Vah, quid hoc est sceleris? Toti Deus insidet orbi,
de proprio decimas vix capit atque suo.

42. Paracleto meo.

Suscipe me, trepidi solamen et ara clientis,
qui timet ex merito judicis ora suo.
Eloquor, ipsa malam mea se tibi caussa fatetur.
Nam bona si fuerat, quid tibi durus eram?
Dicque Deo: Putat ille reum se mortis et orci,
sed pater es, frater, filius, obses ego.
Ocyus absolvar, neque enim patietur iudex,
ut cadat, agnatum quem vocat ipse suum.

43. Cor mundum crea in me, Deus.

Quod increarās carneum mihi primo,
cor ferreum factum riget.
Resistit, obstet, si quid entheum conor,
afflatus auræ vi tuæ.
Quin pestilentem sic rubiginem traxit,
ut tam putrescat, quam grave est.
Creator, heus! carnemque redde pro ferro
floremque vivum pro situ.

*

40. 8 qui Dr.

44. Jubilus ascendenti Jesu Christo.

Scande tuos, homo-dive, polos et ovante volatu
ultima sublimem te super astra loca.
Excitat attonitum clamor longissimus orbem,
ille quidem, geniis qui sonat inde tuis;
inde triumphatis qui frendet ab hostibus ille,
dum rudit in proprio carcere carcer hians.
Nunc sceptrum fascesque pater tibi tradit in omne,
subsit ut imperio terra redempta tuo.

45. F. nativitatis Christi MDCXXXII.

Ille sub agresti recubans puer aureus ulva,
numen in exiguo corpore grande fovet.
Cernis, ut imbellis trepidat vaga dextra pusilli,
illa sed hoc magnum dextera versat opus.
Ut tener argutis resonet vagitibus, audis,
detonuit leges os hoc, apella, tuas.
Quicquid id est, parvum quod in hoc audisque videsque,
in puero parvum, quam sua forma, nihil.

46. Votum ad almum spiritum MDCXXXIII.

1633. August.

Sancte Deus, veri spirabile numen amoris,
os patris et nati lingua diserta sui;
cor patet hoc, cor hoc, ecce! patet, venerabilis, intra,
hospes, in hospitium, quod facis ipse, tuum.
Omne tibi vacat, omne meum, sacer ignis, ut uras;
flamma fit a flamma, sim maneamque tua.
Ut flagrem, prior ipse flagra, prior ipsemet ure.
Te sine mortiferum nos sumus igne gelu.

Salitii.

47. Ad eundem aliud.

1633. August.

Exere vim, sis atque mihi, quod es omnibus ægris,
cum patre, cum nato, par Deus ipse Deo.
Et precor et voveo meliorem vivere vitam;
tu prece, tu voto sis mea lingua meo,

et cœlis mea verba refer: Deus, oro, Deorum
eveniat supplex quod rogat iste, bonum.
Actor o! o testis! judex o! o atque patrone,
caussa patrocinio stat mea tota tuo.

48. Ad Deum O. M. Meum.

1633. August.

Qui mirabilibus, mirabilis ipsemet, auris
hoc iter ad mirum me, Deus, ire jubes,
sponte sequuturas veniens indulgeo plantas
atque gradu cupio non renuente sequi.
Duc, pater, et variis peregrinum protege terris,
et tandem solita pro bonitate reduc.
Sic tibi, quod tanto poscis pro munere munus,
mirando, simili carmine gratus ero.

Tangermundæ ad Albim MDCXXXIII. M. Aug.

49. Calendæ Januarii MDCXXXIV.

Christe, decus rerum, sine tempore, temporis autor,
exordium veteris principiumque novi,
sis velut elapsi, venientis et arbiter anni;
serviet ad nutum, quod dabis omne tuum.
Gaudeat ad placidam mundus tranquillior auram
adveniensque malo fit fugiente bonum.
Eripe nos nobis. Tibi nos, te reddito nobis.
Nulla salus aberit, tu modo noster eris.

50. Super prima Pentecostes.

1635. Mai 27.

Quis celer attonitas cito tam Notus impulit ædes?
Quæ per apostolicas flammea lingua canit?
Ille replet vacuum cœlesti murmure tectum,
illa pares linguis lingua dat esse novis.
Spiritus est hoc utrumque Dei, Deus ipse perennis,
hic sonat, hic miræ flagrat in igne facis.
Sum vacuus, me, sancte, reple, te flamine, vente,
sum rudis, ah linguam dux rege lingua meam.

MDCXXXV.

51. Feriis natalitiis MDCXXXV.

1635. December.

Discute languentem, mens experrecta, veternum;
exoritur medio lumine plena dies.
Ille mihi Deus est, teneris qui vagit in ulnis,
ille puellaris sarcina grata manus.
I, fuge, curre, vola, reducis jubar excipe solis,
i, fer et has adole non sine thure rosas
et salve, dic, chara dies materque diei,
queis sine rebus erat nox nigra plena dies!

52. Oratio pro incolumitate.

1636.

Nemo mei curam gerit hic et nemo meorum,
tu nisi sis vitæ custos et alpha meæ.
Sis bonus et facilem præbe singultibus aurem,
pondus et assiduis fletibus adde suum.
Te duce sum peregre, duce te, pater alme, redibo,
omne meum nutu statque caditque tuo.
Jam novus incipio tuus esse et solvere totum.
Me tibi da Deus, hoc posse placere modo.

In Tartaria post factam absolutionem.

53. Revalescentis a præcipiti et gravi morbo, in itinere Persico.

1637.

Prima tibi grates fausti ferat hora diei,
conditor, auxilii pro pietate tui;
altera thure crepet pro prosperitate futura;
ut redeam, precibus tertia plena vacet;
quarta vocet lætos ad amica vocabula cives;
quinta sit apposita sextaque tota dapis;
quod superest lucis, salibus consumere fas sit,
nostraque si placet hoc, pars bona noctis erit.

Ad Sodales.

54. Festo angelorum MDCXXXVII. Isfahanæ Persarum.

1637. November 1.

Officiosa cohors, quæ stas vigil ante tonantem,
prompta ministeriis nocte dieque tuis,
laude tibi merita vocales pangimus hymnos,
devotos studii pro pietate tui.
Mille per insidias, per mille pericula nostrum
ducis iter, tuto nos comitando pede.
Sis bona, sis porro reduci dux prævia Cimbro,
qui, nisi tu fueris, non rediturus erit.

55. Natalibus domini MDCXXXVII.

1637. December 25.

Nascere, sponsa salus optanti nascere mundo,
o desiderium cordoliumque piis!
Tu patrio miseros olim nos reddis olympo
restituesque vetus, quod tulit hydra, decus.
Este leves animis, jamjam penetrabile cœlum est.
Dux, via, porta, vigil, janua, clavis adest.
O sacer, o suavis, nihil et nisi nobile, Jesu,
quam mihi cunctus eris, si mihi Jesus eris!

56. Deo Deorum.

1638. Mai.

Ille sub arsuris iteratus anhelitus extis,
ille, calens usti pectoris ille tremor,
gutturis ille pavor suspecto missus olympo,
indicium nostra de pietate ferat,
dum per mansuetas sacris nostratibus aras
imus et obscuris stamus ad ora diis.
Sit, licet, externos cogamur ponere vultus,
non poterit fictos cor simulare deos.

Inter barbaros.

57. Christo resurgenti.

Sparge caput violis et ovali cingere lauru
raptaque victrici concute signa manu,

Christe redux, redivive Deus, victure perennis,
et pede calcatum cum nece tunde Stygem.
Seria salvato consurgunt gaudia mundo,
efficit æternos unicus ille dies.
Si vivis, quo, Christe, modo non vivere possim?
Quomodo, si surgis, Christe, jacere queo?

58. Super cultu barbarorum.

Absit, ut ad vestras veniam non entheus aras;
sic poteram magni numinis esse reus.
Non adeo gens cruda sumus securaque cœli;
nos tamen a vestris cogitis ire sacris.
Vana tuis prohibeto, licet, nos Russia, templis:
Christe, modo cœlo ne prohibeto tuo.

59. Charismata almi spiritus in itinere per barbaros MDCXXXIIX. M. Majo.

Muneris hoc est omne tui, spirabile numen,
nos quod in hostili sic comitaris humo.
Jurat in excidium passim gens barbara nostrum,
fur Scytha, sol rabidus, trux via, plena fames.
Sufficis has animis, has das in corpora vires,
hactenus ut tantum sustineamus onus.
Porro juva, virtutis obex, defensio vitæ.
Ægra valent per te, te sine firma cadunt.

60. Pentecoste anni MDCXXXIIX. In itinere Dagostanensi ad Coisam.

1638. Mai 13.

In nobis sator ipse tui, mundissime, cultus,
o jubar ardoris, lumen o ipse tui,
fessa viis, enecta fame, confusa pavore
et vel suppliciis jam miseranda suis
turba, tuos damur ante pedes super arida fusi
et gemimus cœlum suspiciendo tuum.

*

59. 5 vites Dr.

Duc, sacer, et quæ jam fessis vix ora moveri
cernis, in elogio sunt moritura tuo.

61. Januarius anni MDCXXXIX.

Jane, duplex gemina qui tempus fronte tueri
diceris, undenis patribus une prior,
claude vetus, reclude novum dux claviger ævum,
cum similique novum tempore pande decus.
Lenia felici concurrant sidera cœlo,
ætheream melior sentiat orbis opem.
Fallor, an optatos prædicant sidera risus
festaque de fausta dote cachinnet humus?

62. Pentecoste anni MDCXXXIX.

1639. April 14.

Excute te totosque tuis penetralibus amnes
ingere, mens, lacrymis quos facis ipsa tuis.
Hospes adest, mens, hospes adest, heus! limina pulsat.
Pande fores cita, mens, i, fuge, curre, vola.
Sterne toros violis et odora nube renide.
Sic tuus introeat, qui stat, ut intret, herus.
Quod si tota tibi penitus permiseris illum,
dic: Pie, donec eam te comiterque, mane.

63. XII. Junii, dies Pœnitentialis et Rogationum, per universas ditiones Suecicas.

1639. Juni 12.

Hos tibi contrito ruptos e pectore luctus
mittimus, has laceras mente gemente preces,
o pater, o fili, sacer o nos spiritus, audi,
ut propera miseris auxilieris ope.
Ac quamvis, dum flemus adhuc, peccare sciamus,
nam scelus est, homo quod cogitat et quod agit,
attamen, alme, tua nostros tege luce reatus,
quippe malum nihil est præ bonitate tua.

In Ingria.

In hunc librum pertinent quoque sequentia Epigrammata, quæ in amicorum manibus sunt.

1. Pascha anni MDCXXXVII. Ardebilæ Persarum.
2. Festum III. Regum, Sabæ Persarum celebratum MDCXXXIIX.
3. Pascha anni MDCXXXVIII. in Medis.
4. Super flumina Babylonis.
5. Confitebor tibi.
6. Synaxis.
7. Regius ille.
8. Pharisæus, Publicanus.
9. Probate spiritus.
10. In silentio et spe fortitudo mea.
11. Integritas et rectum custodiant me.
12. O tempora, o mores!

EPIGRAMMATUM

LIBER II,

SIVE

SIDERA.

Amplissimo Magnæque Auctoritatis Viro Bernhardo Torbecio,
Senatorii Ordinis Et Secretario Urbico Bono Publico Nato
Fraterni Affectus Publice Testandi Caussa Adscribo
Paulus Flemingus.

SIDERA.

1. R. P. Ambrosio de Angelis ord. Erem. D. Augustini. In Georgia, qui Schamachiæ ad nos invisebat.

1637. März.

Certa Georgiacæ, pie mi, conversio terræ,
quam per et Albanus credit et orat Iber,
rem facis, Armenum dexter quod schisma refellis
atque Diarbecios detegis ore dolos.
Inde Mahumeticum, gravis ore, refringis halysmum
Christiadumque reples ethnica fana Deo.
Tot tibi pagani cœlum debere fatentur;
ipse tibi cœlum debet Jova suum.

Schamachiæ in Media. Ao. 37.

2. Effigies Mariæ Magdalenæ Plorantis apud Augustinianos, in regia Isfahana.

1637. August 29.

Diffluit effusis sensim dum Magdalis undis,
induit et liquidas uvida corpus aquas,
sicque recens mare stat, sua quod facit aura verendum,
quæ furit a gemitu mota fluentis heræ.
Ilicet apparet crucifixus ab æthere Christus
et micat insolitis axis uterque striis.
Este mihi comites, socii, Mariæque natanti:
tam procul orcus abest, quam prope portus adest.

3. S. Katharinæ sepultura in eodem templo elegantissimo.

Quam super aspersum milleno flore cadurcum
bajulat angelicus celsa sub astra chorus,

*

1. 6 fassa Dr.

non alia meruit sepeliri candida pompa,
non alio fuit hæc digna ministerio.
Mascula perpessos nunc despice virgo dolores
carnificemque suæ tuta relinque cruci.
Vita tibi peperit millenas unica mortes,
millenas vitas mors parit una tibi.

4. Convivium apud eosdem Patres religiosos Lusitanos, XXIX. Augusti MDCXXXVII.

Stat prior æthereas orans Ludovicus ad aras
et facit hospitibus numina blanda suis.
Explicat interea fratrum manus hospita mappas,
mox sedet ad positas plurimus ordo dapes,
dumque legunt variam Cererem Bacchumque salutant,
adspergunt salibus prandia sancta piis.
Mortales epulæ, cælestes jure vocandæ,
quæ saturant animam, dum bene corpus alunt.

5. Imago Div. Augustini ibidem.

Sancte senex, venerande pater, cui patet olympus,
pro misera quoties plebe precaris opem!
Laus tua per magnum viget excelsissima mundum,
ipse tua loquitur de pietate polus.
Vita dedit cœlum multis tua, pluribus at mors,
dum tuus ad normam nos beat ordo tuam.
Monica, sis tanto fœlix super æthere partu,
pignora, sed cœlebs, tot generante polo.

6. R. P. Ludovico de Bono Successu, s. ord. Fr. Eremitarum D. Augustini Priori.

Ludo vices, Ludovicus ait patriaque profectus
nil mare, nil terras, nil fera cuncta timet.
Ergo procul Maurum venit, ut beet acer Eoum,
a Tartessiaco progrediendo Luso.

*

5. 4 ipsa Dr.

Et venit, ut beet, et vero replet ethnica Christo
corda, nec ulterius, quod magis optet, habet.
Lude vices, Ludovice, diu. Placet omine nomen;
nam tibi successus autor es ipse boni.

7. R. P. Josepho de Rosario, ejusdem ordinis.

Ore gravis, pietate sacer, bonus arte, nec ullo,
sive velis animos eloquiumve minor,
nil negligis, pandas populis ut aventibus axem,
qui coeunt densis te vocitante globis.
Utque magis moveas, os induis illud et illud,
barbariceque loquens barbara corda trahis.
Si, Josephe, tuis meritis æqualia poscis,
posce animæ cœlum, posce, Josephe, Deum.

8. R. P. Vincentio de Bono Successu, ejusdem ordinis.

Missus ab Hesperiis Vincens Orientis in oras,
monstret ut extremis gentibus astra, venit.
Conveniunt populi, placidasque benigniter aures
dum præbent, supera sic saluantur ope.
Quid pietatis amor, fidei quid zelus et ardor
dogmatis in sanctis non potuere viris?
Vicit, jo! vicit Vincentius! Addite laurum,
quam capit a solo præmia dante Deo.

9. R. P. Philippo de Rosario, ejusdem ordinis.

Sanctus es; hinc hæres fueris mox certus olympi.
Purus es; hinc merito te pius omnis amat.
Doctus es; ætherias dextre sic digeris artes.
Blandus es; hinc placide corda profana moves.
Pauper es; et tamen es sic divite ditior omni.
Parvus es; at magni grandis in aure Dei.
Omnis es, esse tuis debes qui candidus astris;
astra quod hinc tua sint, nemo, Philippe, negat.

*

6. 7 Placeat Dr. 9. 7 tui Dr.

10. R. P. Petro de Sanctis, ejusdem ordinis.

Dignus es elogio, memores quod ducet in annos,
vir pie, vir puræ simplicitatis amans.
Nam quod hic eloquio, specie tu lenis in ista
efficis, ut verum Maurus adoret herum.
Non opus est dicto, facto micet entheus ardor.
Plus pius exemplo, quam gravis ore movet.
Sed tu, dum vitam sanctis sermonibus æquas,
ambiguum, moveas qua magis arte, facis.

11. Ad eosdem patres quinque numero.

Quinque David lapides jaciebat in ora Gigantis:
quinque libris Moses jus habet omne Dei:
millia quinque Deus saturavit quinque placentis:
quinque redemptoris vulnera corpus habet:
quinque decens lustrum, totidem stat olympias annis:
quinque bis in duplici fers, Mose, verba petra.
Quinque patres unis habitatis in ædibus, o vos
sidera quintuplici prosperitate beent!

12. Laudes D. Augustini.

Grandis Afer, patriæ cœlo fax plena Tagastæ,
nec minus Hipponæ lux radiosa tuæ;
namque Manichaum pede vindice conteris astum
schismaque Donati Pelagiique nefas;
culmen es et fidei perfectio tota beantis;
nec quid in hos cineres, trux Trasemunde, potes.
Laus tua sit mea vis, qua salver, o autor, o insons,
o pia salvandæ lex et amussis humi!

13. Sibyllæ in eodem monasterio.

Vatidicæ species, animus quibus insidet augur
atque tument ipso pectora plena Deo,
dicite paganis, atheis hæc dicite Mauris,
quod populos docuit quælibet ante suos.

Dicite, nos redimat quod opus, quæ virgo, quis infans,
dicite damnando thema salubre gregi.
Cœlestes animæ, multis vox profuit olim,
vestra sed hic species pluribus illa, reor.

14. R. P. Blasio de Nantes, Capucino, in Persia Missionario, a febre convalescenti.

Surge, pater, mœstumque diu jam desere lectum,
qui tibi fatali febre molestus erat.
Claude torum foribus, museum pande reclusum
Eusebiamque nova flecte salute tuam.
Ne dubites, vitam post ut tibi sidera firment,
qui jam præsenti te rapuere neci.

15. R. P. Valentino Capucino, Missionario, in Persia febre decumbenti.

Fugerat a sancto febris emaciata Blaseo,
nec levis invalidam moverat ira deam.
Alma salus illam languentis abegerat extis.
Ergo fremens tota dum capit æde fugam,
forte Valentinum cernens fera corripit ultrix.
Hic jacet et sævæ jam crepat igne deæ.
Victa semel, cladem quid amas, dea stulta, secundam?
Ipse Valentinus mox tibi victor erit.

16. Melchiori a Regibus R. P. Carmelitæ discalceato in Persia.

Melior; mel ori.

1637. October.

Mellificæ volucres, roseus quas nutrit Hymettus,
en vocat indigenas floridus Hybla suas.
Quid vaga per nimias grex ire volatilis herbas
indeque fatales tam juvat esse dapes?
Parcite sudori, propius cibus iste paratur,
quem labor æthereæ conficit artis ibi.

*

16. 6 artas Dr.

Os hoc, hoc os Clarium vestro mel impluet ori,
præferat ambrosiæ Juno quod ipsa suæ.

Ad Apiculas.

In hunc librum pertinent quoque sequentia Epigrammata quæ in amicorum manibus sunt.

1. R. P. Joanni de Mesquita S. ord. Fr. Eremit. D. PEr. Aug. in Orientali Goa Provinciali.

2. S. Teresiæ Carmelitarum discalceatorum Patronæ, cujus festivitas 5. Oct. MDCXXXVII in Isfahan celebrabatur.

3. R. P. Balthasari a S. Maria, Carmel. discalc.

4. R. P. Dionysio a Corona Spinea, Carm. disc.

5. R. P. Huberto a S. Carolo ejusdem ordinis.

6. R. P. Dimæ a Cruce ejusdem ordinis.

7. Consecratio novi templi Carmelitarum in Isfahan MDCXXXVII.

8. Series regum Persicorum apud Patres Capucinos in Isfahan.

9. R. P. Hermanni Hugonis Divina Poesis.

10. Capucinorum in Isfahan et Bagadad religioso ordini Gall.

11. Carmelitarum religioso collegio in Schiras et Balsara.

EPIGRAMMATUM

LIBER III,

SIVE

CORCULA.

Reverendo Et Venerabili Patri M. Erico Van de Becio
Ecclesiastæ Apud Revalienses Primario Devotissimo Capiti
Ex Bona Voluntate Hæc Corcula Mea dedico
Paulus Flemingus. Germanus.

CORCULA.

1. Poesis Jani Stephani Verbesii, Apollinis Phœbi.

1630—1831.

Quis mihi nectareæ sapor undat in ore salivæ?
Quod mihi sidereum tinnit in aure melos?
Dulcor o, o veneres, quid gusto, quid audio cœli?
Ambo, quod obstupeant, os et, et auris habent.
Jam scio. Verbesio pulsum salit indice plectrum.
Hinc hic in ore lepor, hinc hoc in aure decus.
Nil melius, superi, satius nihil ilicet optem:
os ego sim totus, totus et auris ego.

2. Odæ vernaculæ dedicatorium in nuptiis M. Sam. Steueri, Sil.

1631.

Quod mea me pietas, tua quod sors candida poscit
et tibi sollicitus scribere suadet amor,
accipe Teutonico stridens de fonte melisma,
non tamen Opitia fusile carmen aqua.
Hoc dabit Arctoi popularis vena Maronis,
quem tua fatali Bresla favore tenet.
Sunt bona, quæ mala sunt, sunt plurima, pauca, faventi.
Plura negat tempus, nec meliora sinit.

3. Agneti Schœnburgiæ Baroni, dominæ meæ.

1631.

Certa Camœnarum, quæ nil aliunde rogando,
et cor et os et opes sufficis ipsa tibi.
Si novus antiquum quis agat Paris arbiter actum
tuque deabus eras, o dea, juncta tribus,

dispeream, primæ ferres nisi laudis honorem,
Juno genus, mentem Pallas et ora Venus.
Tres unam quondam palmam meruere dearum,
tu, dea, divarum fers decus una trium.

4. Quirino Schachero, juris antistiti.

Curia, rostra, forum, veteri viduata nitore,
nuper in incomptis mœsta stetere comis.
Fugerat Astreæ, Themidos diffugerat urbe
numen, in Ositiam Marte tuente plagam.
Jam redit Astreæ, Themidos redit ilicet urbi
numen, ubi versis Mars fugit actus equis.
Numina quæ redeunt, redeunt ductore Quirino,
hoc duce læta nitent curia, rostra, forum.

MDCXXXI.

5. Isaco Caulvelio, amico juventutis.

1631.

Isace, quem colimus juveni cupienter ab ævo,
durat adhuc, nos tum qui fuit inter, amor.
Hinc fit, ut assiduis aveam cito noscere curis,
quæ tibi sors quales det dederitque vices.
Quod si recta tuis favit Rhamnusia votis,
has pro te nostras scito fuisse preces.
De fatis nihil addo meis, quibus hactenus utor.
Quod dolet, hoc doluit semper: abesse tibi.

6. Cœlestino Schrœero Elysio.

1631.

Cœlestine, mei calor ardentissime cordis,
quid potes in nimias sic tacuisse moras?
Quam super hoc abiens, memini mihi tradere dextram,
illa silet, fidei facta profana datæ.

*

5. 2 duras Dr.

Num tibi defecti moriens lethargus amoris
urit in humano cor glaciale gelu?
Hoc quatefac, quantum potis es. Medicamen in hoc est;
te meus, igne suo, dum fovet, urget amor.

7. Zachariæ Pœplero Sil.

1631.

Nescit habere meum Pœplerus scilicet illud,
quod probo quodque probat ipsemet esse meum.
Quomodo sed valet esse meum? Quo sumsero jure,
quod nego quodque negat ipsemet esse meum?
Sume tuum, Pœplere, tuum quod uterque vocamus.
Jure meo careo, jure carebo tuo.
Nempe fit immeritis injuria maxima nobis.
Nil mihi debetur, nil mihi linque meum.

8. Ad Sponsos Andream Bauerum et Magdalenam Blumiam.

1631.

Nescio, quid lepidum vestro meditabar amori,
Teutonica solitus plectra movere manu.
Clamo, nec ad jussos mea Pieris advenit orsus,
tota vacans operi tunc fuit ipsa novo.
»Castra sequor; Venus« inquit »abi; Venus, oro, recede.
Tu quondam, jam nunc Mars mihi carmen erit.«
Sic ait; invitam sic non fas cogere divam.
Sint mea, Christenius, quæ canit, ore, meus.

9. Godfrido Vibigio, Silesici candoris æmulo.

1631.

Me tibi dilectum fecit divina poesis,
te mihi dilectum fecit Apollo pater.
Illius ille pater natæ, cui militat omnis
Pindus et omne suæ murmurat agmen aquæ.
Unus amor nobis caussa surrexit ab una,
simplice sic duplex ignis ab igne fuit.

Qualiscunque bonus memor esto poeta poetæ,
te rogat hoc pro me Cynthius ipse tuus.

10. Annæ Catharinæ Placentiæ.

1631.

Virgo potens facie, nec abhinc rudis arte placendi,
cui similem nullam totus Elister habet,
quam Venus adspiciens, dolet, hoc superabilis ore,
et velit ipsa pudens non adiisse Charis.
Forma genas, nitor ora, manus lepor, ignis ocellos,
tot virtus animat mentis ab æde deos.
Quid mirer, similem quod nesciat orbis Elyster.
Par nihil est cœlo, cœlica forma, tui.

11. Stanislao Clugio, Silesiorum Integerrimo.

1631. Nov.

Nunc tragico miseram cohibe chelin ilicet unco,
o cor amicitiæ, Staniselae, meæ!
Occidit ille tuus, meus occidit ille Glogerus,
quo tibi, quo mihi non charior alter erat.
Væ tibi, quod cadit is, mihi væ, quod is interit, eheu!
ille tui genius pectoris, ille mei.
Ut moriar, moriare simul: sed ut æquius optem,
unus ego moriar, tu modo plange duos.

12. Paulo Christophoro Lindnero, fido Silesio.

1631. Nov.

Flevimus, at fletu medii defecimus ipso.
Jamque gemunt lacrymæ se lacrymasse parum.
Caussa tibi mecum communis et una Glogerus,
hei mihi! tam fletæ caussa Glogerus aquæ!
Nam potes; his oculis, his fontibus ingeme venam,
Paule, cupidinei fusilis urna cadi.
Fac, quia per mea se lacrymabilis aruit urna,
discat ut a lacryma se nova flere tua.

13. Godefrido Schildbacio Glacensi.

1631. Nov.

Aggemis his lacrymis, his una fletibus affles,
par gemitus gemitu vult tuus ire meo,
gemma Silesiacæ, Godofride, tenerrima terræ,
quo-mihi-cum nivei tot nituere dies.
Confudere suas simul ora et lumina sortes,
it pariter sociis imber et aura viis.
Aggemuisse potes, potes afflevisse dolenti,
sed quis erit fletus, quis gemitusque modus?

14. Sebastiano Grunawero, desiderabili meo.

1631. Nov.

Te mihi dilectum vox fecit amica Glogeri,
me tibi vox eadem junxit amore pari.
Nunc ea vox periit, periit quia morte Glogerus,
hinc timor est veteri te cecidisse fide.
Sentit amor trepidumque gravi fugat ore timorem.
Ille fugit, subit hic pectus in isthoc ovans.
Hic sedet, hic habitat; nec ab hac amor æde recedet,
donec amans odium diliget ipse suum.

15. Christiano Trallesio, Silesicæ integritatis exemplo.

1631. Nov.

Carmen aves, gelidi lacrymans ad busta Glogeri,
scribo tibi paucis hoc epigramma notis.
Da, precor, hoc veniæ. Nimius mihi pluria languor
denegat, ex damno quem traho lentus eo.
Ah mihi! sed motum præstat componere luctum.
Non facit ad nostras planctus et ira cruces.
Mitte quid extincto, te mitte, quid obsecro dignum.
Illud amans debes hocque poeta potes.

*

13. Olacensi Dr.

16. Augustino Richtero Meo.

1631.

Quam mihi multiplices amor unus amicat amores,
ille tui sitiens unus amoris amor!
Crevimus a pueris simul et simul arsimus annis,
Marte pares stetimus, ivimus arte pares.
Risimus una ambo, sed et ambo flevimus una.
Sic mea sors, tua sors quæ fuit, illa fuit.
O amor, o si mente sumus tam jugiter uni,
corpore cur geminos tam sinis esse diu?

17. Stephano Colero, amico homini.

1632.

Namque tibi, fateor, fidei sum debitor hujus,
te quod ais totis me peramare fibris!
Credo, nec ambiguam super hoc traho nomine mentem,
fraus nigra tam nivea nulla sub æde latet.
Forte parum facerem, si me redamare faterer,
forte parum, cultum si simul addo meum.
Te redamo, colo te; super hæc majora volenti
Phœbus ait: Versus quatuor omne dabunt.

18. Amico subtristi.

Pone Catoninam rugoso lumine frontem
et facies hilares pandat aprica genas.
Aurea pallidulis intersita poma corymbis,
lactea sanguineis lilia juncta rosis
sunt lepor atque maris non-fœmina gratia vultus
et tempestivis seria mista jocis.
Omnia fert tempus, tempus rapit omnia nobis.
Qui, quod adest, recipit, cor sapientis habet.

19. Thomæ Domisio.

Note per undenos, Domisi, mihi blanditer annos,
tempus in omne meum post mihi charus eris.
Nescio, quid post se trahat aurea notio firmum,
quæ fuit in prima conciliata schola.

Durat et æternas numerat feliciter horas,
semper ab augmento grandior ipsa suo.
Chare, fac, ut perstet veteris conclusio dicti:
Non male deficiet, qui bene cœpit amor.

20. Joanni Nicolao Thomingio, Apollinis filio.

1631.

Lene canens et dulce medens, sic utile suavi
Janus in expositis miscet utrinque modis,
ut dubitet pater ipse meli, pater ipse medelæ,
grandius elogium qua super arte ferat.
Sed super ore superque manu dum pendulus hæret,
unus utraque æque, sol ait, arte valet.
Utile sic dulci miscet, sic suave salubri,
os et apollineam nam gerit ille manum.

21. In gratiam Davidis Maxii, super Panegyrico ejusdem.

Æmulus Heinsiadæ facundus Maxius oris
disserit invicti nobile regis opus.
Quæque Camœnali digessit Narsius arte,
Maxius in presso carmine disposuit.
Et modo, quod caruit majori mente, reponit,
ausa modo calamo fervidiore refert.
Pace tua loquar hoc: Si te transfundis utrinque,
Heinsius eloquio, Narsius arte caret.

22. Joannæ Comannæ Poetriæ Mirjam Tragicomœdia.

O dea, quæ Charisin, Clariis tredecimque Sibyllis
arte tua numerum non sinis esse suum,
ergo Seneceo germanica scena cothurno,
ergo tonat marium virgo virilis ebur?
Parcius erravisse dole, Levitica Mirjam,
excusat culpam fœmina docta tuam.
Quem tibi placavit Moyses, jam reddit amicum,
vincere nata viros virgo deosque, Deum.

23. Augusto Buchnero, Musarum Phœbo.

1632. April.

Omne tuæ fueram simul appositurus orexi,
si tibi de mensa mens foret esse mea.
Plena Meduseo spumarent cymbia jaccho;
nec foret a nostra Cyrrha nec Hybla dape.
Tu bibis ambrosiam, Ganymede beatior omni.
Nectar it a calamo, sacchar ab ore tuo.
Hæc mea ne bibe bis, tua nec prior aurea gusta.
Post mel, fel mea sunt cuncta probata, tuum.

24. Jacobi Graii reminiscitur.

1632.

Inter Elystreas medius considere nymphas
et lepide mecum suete, Jacobe, loqui,
dum neque Plissa Pales, neque Pardia Nais abesset,
flaret et in nostros Panis arundo jocos,
faustus eram mihi tunc, neque erat me lætior ullus,
delicias per te te cumulante meas.
Nunc abes et tecum fuerat mihi quicquid amœnum.
Quam minor est umbra lux mihi facta sua!

25. Georgio Ernesto Kademanno, competitori tituli.

1632. März.

Ast ego sum dominam tibi corrivalis ad unam
meque cupit, te quæ tam cupienter amat.
Turpis it et sacer est alieni raptor amoris
nubere nec binis una puella potest.
Non tamen hinc tibi sum, nec tu mihi tristis et ultor;
quæ fuit immundis zelotypia procis.
Sanctus ut est noster, sic est non invidus ignis.
Quur? Quia nil minus est, quam velut audit, Amor.

26. Georgio Eberhardo Hartmanno Joannis Fil.

1633.

Non tibi mens charos premere aut tenebrare labores
velleque dissimilis filius esse patri.

Candidus ingenui producis scripta parentis
visque tuo super his cum Michaele legi.
Prima tuum merito vehit astra per aurea patrem,
altera te, comitem tertia fama tuum.
Vive diu, vir amice Deo, vir amabilis orbi,
nomen et hæredis porro tuere pii.

27. Matthiæ Zachariæ Gœtzio.

1633.

Ludit et assidue socio studiosior omni
Lipsicus Aonias nat puer inter aquas.
Quinta Novenarum, rutilis quæ præsidet astris,
hoc videt et tacitas induit amne manus.
Ille nat, illa trahit, vocat hic, tenet acrius illa
et madidi tepidum fundit in ora sinum.
Et vocat ad socias; veniuntque, vocantque vocatæ:
I, Amor, et semper sic abeundo redi.

MDCXXXIII.

28. Mariæ Elisabethæ Becceræ Epithalamium.

1633. Frühling.

Quod nisi me peregre nimius ferat ardor eundi,
prætulerim tædas, Elisabetha, tuas.
Me nec erat propior, qui carmine fascina sancto
pelleret, in thalamum disjiceretque nuces.
Nunc sed enim mandem cui talia munus agendi.
Nube modo studio cassa, Maria, meo,
ut, quæ virgo nequis a me nec sponsa vocari,
te rediens matrem jure vocare queam.

29. M. Garmanno.

1633. Sommer.

Garmane, nobilium felix ordire magistrum,
sustenture meas, quas tibi cedo, vices,
te favor indigenæ dilectum mulceat auræ,
ornet et in dulci patria blanda sinu.

Nos alio pia fata vocant. Has abdico terras,
hospes Hyperboream non brevis inter humum.
Tu, quod agis, liquida, nostri memor, utere sorte,
dum potes ad partem debitor esse meus.

30. Ad Amicum Caussæ Patronum.

Cætera nam reliquo, scieris bonus arbiter ex te;
quæ licet obticeam, se tamen ipsa notant.
Hæc tibi, quæ cruciant et in hoc simul ore leguntur,
sufficiant metricis exposuisse modis.
Hactenus ingenua quem dissimulavimus arte,
rumpit et hoc gravius se dolor usque gemit.
Non legis hic solum lamenta mei mœroris,
cernis cum versu rectius ipse meo.

31. Jano Philippo Crusio, Charitum animæ.

1633. Herbst.

Cresce, puer, studiis, puer auree, cresce sciendo.
Natus es ingenio claudere cuncta tuo.
Pulcher in his quid suave tremit tibi crinibus Othrys;
Castalis in labiis navigat ipsa tuis.
Et lepor et Charis et sociis Venus addita Musis
approperant digitis te nitidare suis.
Fac, puer, ut facias, quod agis. Sic namque valebis
magnifico similis filius esse patri.

Hamburgi MDCXXXIII.

32. Godfridi Deuerlini Philyrei desiderio.

1833.

Ultimus Hannonia mihi conspiciendus in urbe,
serus, at hinc nostri major amator eras.
Diximus ambo vale, discessimus ambo nec una.
Eurus erat mihi tunc dux Zephyrusque tibi.

*

31. 8 nagnifico Dr.

Sic iimus totis diversi spebus amantes;
dissociabilius par quod in orbe fuit?
Vertere; vertor ego; reducique fac obvius adstes:
Par sociabilius non erit inter humum.

33. Hartmanno Gramanno Med. Novogrodia Narvam.

1634. März 10.

Vicimus infidas secura mente paludes,
fidimus assuetis frigus inerme trahis.
Et jam nos Novogroda tenet. Quam fama salutat
aureolam, fastu est lignea tota suo.
Enecat hic magis atque magis mora vestra morantes,
quam, Deus! in votis estis abunde meis.
Ite, venite, videte viros, loca cernite tanta,
quæ, simul ac fuerint visa, neglecta velis.

X. Mart. MDCXXXIV.

34. Excellentis ingenii et doctrinæ Garlef Luders cum ipse, arcu lusurus, manuum potiorem graviter læsisset. Odæ romanæ dedicatorium.

1634. Sept. 2.

Quæ sors, quod nocuis fatum te vidit in hirquis,
tam miseras insons ut paterere vices?
Accusem superos, verear nisi numinis iram.
Liber agit, dominus quicquid olympus agit.
Sed tamen infausto damus hoc solamen amico.
Hinc vide nos lacrymis collacrymasse tuis.
Non licet has proprio partiri corpore plagas,
mente licet: gravis est condoluisse dolor.

Moscoviæ, postrid. Kal. VIIbr. MDCXXXIV.

35. Suo.

1634. Sept. 2.

Ille tuus meus est hesterni testis Iacchi,
quem quereris tota voce dolere, dolor.

Ille tuus meus est, neque enim non plangere possum,
o animæ medium, te lacrymante, meæ.
Sis memor et sic disce aliquid prodesse nocendo.
Sic fugimus tectas, quæ pupugere, rosas.
Cautior i nocuosque nimis bibe cautior ignes,
dum perit in vobis pars bene magna mei.

Inter Ruthenos.

36. Eidem.

1634. Sept. 2.

Non tamen immoreris, licet hoc ais esse timendum,
o mihi de culpa nulle dolende tua!
Hesternam redolent Cererem, quas egeris auras,
et vespertinum prodit ab ore merum.
Flende tibi, ridende mihi, ludende cuivis,
sic meriti precium, quod cruciaris, habes.
Firma dole, dolitura dole, mihi risus et omni,
et, magis ut dolcas, sit doluisse minus.

37. Hipponactis Wendelino Sibelistio, Magni Moschorum Principis Archiatro, scripti nuncupatorium.

1634.

Immemori veteres gererem si corde favores,
et decus immerito, te tribuente, datum,
dignus eram, raperer meritos inhonestus ad ignes
duraque frons digno stigmate læsa foret.
Hactenus exiguas potui tibi reddere grates,
carmen hoc a memori non leve pignus habe.
Aurea dona tuus tibi Fedorovicius offert,
munera sunt Phœbi pauperis ista mei.

38. Joanni Michaeli, Meditrinæ Mystæ.

1633/34.

Jane, chymiatricæ nomen venerabile laudis,
maxima per minimam qui mala tollis opem,

*

36. 3 redolct Dr.

vidimus edideras, Hasso quæ condita Phœbo,
Harria Revaliam quo locat orbe suam.
Vidimus et faustis felicia basia chartis
fixerat in famam lingua diserta tuam.
Scripserat Hartmannus privus, tu publicus edis.
Si tibi non major, par tibi dandus honor.

39. Reinero Brocmanno et Dorotheæ Temmiæ Sponsis.

1635. April.

Jungeris optatæ felici sidere formæ,
atque tuæ mentis fit Theodora dea.
Sponse, cor Aonidum, charitejæ gaudia trigæ,
quem Venus et Veneris turba pusilla colit.
Arridere tibi fas est, quia risit olympus,
atque tuum thalamum dulce cachinnus habet.
Nubite felices ambo, connubite fausti,
in vestroque salus excubet ipsa toro.

40. Ad Hartmannum Gramannum Medicum, quum Revalia solveret.

Silv. IX, 14.

1635. Mai 21.

41. Henningo Grossio, coætaneo suo.

Nescio, quid rerum capias, quid tractet agonum
Grossius, ardoris fax radiosa mei.
Forsan et ipse meæ nescit molimina vitæ,
absumus in nimias dum sine fine moras.
Sed tamen, ut, quid agam, sciat, hac legat indice charta:
vivo, nec illius lentior urit amor.
Jam quoque, quid rerum tractet, scio, melleus ille
vivit et in veteri flagrat amore mei.

MDCXXXV.

42. Olearium, ut scribat sæpius, rogat.

1635.

Mel bibo, te quoties lego, nomen amabile nobis,
melleve si quid erat dulcius atque favis.
Nat lepor in calamo, Charis undat in æquore crenæ
et lavat in pluteis se Venus ipsa tuis.
Nam tuus est Helicon, tuus Othrys et arduus Æmus,
Phœbus et, et Phœbi concio tota tua est.
Quando voles nobis nihil invidisse videri,
quod placet in nostra crebrior aure sona.

43. Henrico Arningo et Elsabæ van Schoten odæ vernaculæ inscriptio.

1636. Anfang.

Credibile est, ipsum leve quid lacrymare cachinnum,
cum nova sub prima nocte marita gemet.
Illa, scias, madidum quid ab istis fundet ocellis,
et quod siccabis, sponse, rigabit Amor.
Sponse, nihil, nil, sponsa, time. Feliciter itis
vestraque sidereus gaudia risus amat.
Quos nox sera rudes timido se condere lecto,
doctius e thalamo surgere mane videt.

Revaliæ Harridis Esthonicæ MDCXXXVI.

44. Philippo Crusio, Viro Nobili et Jureconsulto, ejus Sponsæ nominalem gratulatur Pasabulcæ Ruthenorum, d. VIII. Kal. April MDCXXXVI. in itinere.

Dormieram, vir magne, tui securus amoris,
nec Clariæ tantum sustinuere nefas.
Sed dea nulla meam, nec vellere Cynthius aurem
tunc voluit, toti lis fuit inde jugo.
Conveniunt; proque aure pedem qui dente moneret,
missus ad oblitum me Taracanus abit.

*

44. XI. Kal. Dr.

Admonet. Evigilo. Sed ab hoc iit horror in artus.
Hinc adeo versus obriguere mei.

45. Literæ Basilenæ. S.

1636. August.

Fulmina sunt, quot sunt elementa notata papyro,
quam mihi, sed tristi, mittis, amica, manu.
Jure tuo facis hoc, dignas quod concipis iras,
et mihi quid Jovio sævius igne tonas.
Sum reus, arbitrium jurandi transeo juris,
sed mora me quoque, te quæ necat, usque fodit.
Discute fulmineas, sol mi clarissime, nubes.
Dum loquor, occurro me socioque tibi.

46. Ad Amicum Olearium.

1636. Nov.— Dec.

Sum, quod es, o animi decus et favor unice nostri,
te mihi, me tibi dat cor sociale parem.
Sim tuus, ut meus es. Neque enim, quod aduler, in hoc est.
Ni tuus esse queam, non meus esse velim.
Sum, quod eram, fueroque tuus, tuus atque manebo,
dum tuus esse potes, dum meus esse queo.
Sis, quod es, eduresque meum cor fertile amore;
sic nihil ambobus, quod querulemur, erit.

Niasabatæ Medorum.

47. Israeli Ilgenio, Lipsensium charissimo.

1637/38.

Mel sapit et cuncto melius memor halat amomo
usus amicitiæ per duo lustra tuæ.
Hinc illum redolere putor mihi semper odorem,
semper et illius mel sapuisse favi.
Jamque, licet toto nimium disjungimur orbe,
Asius Europæ sum tamen usque memor.
Sum memor usque tui; cui si semel unica reddam
Oscula, di, peregre nil sapiendo petam.

48. Brigittæ van Acken, Arpenbecii amoribus.

1638. Febr. 1.

Forma per Esthonicam multis optabilis Harrin,
sola tamen Jano præda futura tuo,
vana teris miseras nimium spectando fenestras,
vana rudes toties stas vigil ante fores.
Hei! nimis hei! is abest, oculis quem quæris avaris.
Fle tamen. Ast illum jam properare scias.
Si nimis est, a te tres ille quod abfuit annos,
te penes æternus mox erit; hoc magis est.

Ex Perside.

49. Basilenæ, cordolio meo.

1638. Juni.

Quæ sed iniqua mei mihi te rapit ultio fati,
virgo, potens animæ vitaque morsque meæ?
Illud erat mihi morte mea discedere pejus,
pejus at est omni jam rediisse nece.
Desero jam victus, quam liber sæpe reliqui.
Fata negant, duo quam corda dedere fidem.
Velle mori poteram, sed mors mea mortua dudum est,
vivis enim, mortis vita dolenda meæ.

50. Jano Burcardo Bresleo amicissimo.

1638.

Mens erat, Elysiam primo pede tundere vestram,
Jane, Vratislaviæ gemma corusca tuæ.
Obstitit adversis Mars sævus euntibus armis,
inque feros pepulit nos jaciendo Scythas.
Hic mihi tres toti periere maligniter anni,
Persarum quartum mox jugulabit humus.
Mens erat et nunc est, tantum licet occidat ævum,
visero vos, venio. Jane, paranda para.

*

50. 7 Merscrat Dr. 8 vrnio. Jane, varande Dr.

51. A. MDCXXXIII. M. Jun. Sabinæ Abrahamidi Flemingæ, suspirio meo.

Ejusdem mecum soror altera sarcina ventris,
quam dedit Abramo dulcis Elisa suo,
quid Sabina tuo factum male rebere Paulo,
quod nimias alio nectit in orbe moras?
Accusandus eram, sed et excusandus eodem.
Quam volui, potui non removere vicem.
Vive, nec in nostra nimium, soror, angere cura;
sat cito nam redeam, si veniendo vales.

Ex Hyrcania.

52. Brocmanno meo.

1638. Juni.

Conscie curarum, felix Reinere, mearum,
quas mihi fatalis conciliavit amor,
mitto tibi geminos ejusdem pectoris ignes,
mitto cupidineas, tormina bina, faces.
Quod Basilena rogat, petit hoc Anemona perinde.
Unus in ambarum mentibus ardor inest.
Hei mihi! nam peream quo certius æger, hoc unum
duplus amor gemina cor mihi pungit acu.

53. Rosilla seu Suaviorum Liber II. amoribus Crusianis sacer.

1639. Mai.

Suavia tam lentæ mulcentia tædia mortis,
dum via per nimias tenditur ægra moras,
illa mihi totum prætermississima lustrum
sesqui, tuis recolo, vir generose, toris.
Sentit opus streperisque deus puer annuit alis
et nimis in matrem me probat esse pium.
Quisquis amas, ruditer teneram sis lenis in artem,
inter inhumanos scribitur illa Scythas.

*

51 MDCXXXVI Dr.

In hunc librum pertinent quoque sequentia, epigrammata, de quibus in manibus amicorum extantibus inscriptiones saltem mihi relictæ sunt.

1. Janussii Radzivilii, Principis juventutis laudes. 1629.
2. Abrahami Bibrani Memoriæ felici.
3. Christian Becmanni Origines.
4. Joanni Gerardo, Theologorum nostratium Origeni.
5. Mariæ Magdalenæ Prætoriæ.
6. Casparis Bauhini Anatomica.
7. Casparis Barthii Nemora.
8. Ernesto Stidæ.
9. Petri Calvisii tumulus.
10. Salomonis Petrii Jonas.
11. Oleario p. t. ord. Eremit. D. August. 1637.

EPIGRAMMATUM

LIBER IV,

IN QUO

OCELLI.

S. P. Q. Revaliensi Paulus Flemingus Ocellos Hos D. D. D.

OCELLI.

1. Matthiæ Flihero, pueritiæ meæ formatori.

Tu mihi primævis fueras formator ab annis,
per mihi Pieriæ te patuere fores,
vir pie, docte, gravis, rigidi dictator honesti,
strenuus assidua sedulitate pater.
Hujus in hac ætate memor, quæ judicat acta,
hoc tibi pro veteri carmen adorno fide.
Quod si forte tibi placeat minus, artis egenum,
discipulo placeat, quod venit, oro, tuo.

2. Joannæ Eduardæ Becceræ, Musices et Linguarum aliquot scientissimæ Virgini.

Pulcra genas, animum formosa tot artibus auctum,
temporis et sexus sidus honosque tui,
Jana, comes Venerum, Charitum comes aurea Jana,
quæ Clariis numerum non sinis esse suum,
qui venit auditum, spectatum qui venit ad te,
auribus atque oculis captus amator abit
et mirans et amans, nec habens in utroque, quod optat,
mortalem rediens jurat adesse deam.

3. Joanni Ruperto Sultzbergero, Styro, Hippocratis Genio.

Doctor eras medici nuper, Ruperte, lycei,
nunc vocitat medicum Saxonis aula suum.
Mutasti terram, servasti providus artem;
antea quem tenuit Lipsia, Dresda capit.
Flevimus hunc abitum, quotquot veneramur Hygeam,
quotquot ab eloquiis hæsimus ante tuis.

*

1. 8 l. oro, a tuo.

I tamen et melius, quo dignus es, utere fatum.
Laus in Elystrea stat tua scripta schola.

4. Petro Joanni Fabro Gallo, redivivo Hermeti.

Sculpsit in æternas Hermes quæ mira smaragdos,
scripsit in ingenium sol pater illa tuum.
Primus es, abstrusos arcani luminis ortus
qui capis et radios spargis in omne tuos.
Jamque patet natura sibi, patet ordo magistræ,
fixa volatilibus qua juget arte suis.
Prodis hoc ingenuus: quæ laus tua sola putanda est.
Nuda stat in tabulis arsque physisque tuis.

5. Danieli Sennerto, Galeno nostro.

1631.

Magne vir ingenio, meritis vir maxime tantis,
congeris in medicum quæ sine fine bonum.
Ore doces scribisque manu, quod utrumque probando
hoc amat et veniens tempus amando colet.
Urbs tua te, schola te, te Saxonis aula fruuntur,
nec scit apollineam certior alter opem.
Quod medicando doces, præsenti consulis ævo;
quod scribis, curam posteritatis habes.

6. Andreæ Rivino, Philosopho, Philologo, Poetæ, Rhetori et jam Medico.

Prodit Hyanteæ dux encyclopædia turmæ,
illa scientificæ roscida mater aquæ,
dum videt Aonii vada propter euntia rivi
Rivinum nimias ire redire vices.
Prosiliensque cava, qua se velaverat, ulva,
insubidum pluvia spargit ab amne manu
et fugit. Hoc lepidas Rivinus rore papyros
quo magis usque linit, hoc magis usque madet.

*

6. 6 insubitum Dr.

7. Friderico Zamelio, Poetæ lepidissimo.

Audio Zamelium, nec eum mihi cernere fas est.
An, quod abest oculis, auribus illud adest?
Hoc quam suave venit, mihi tam venit illud acerbum.
Auribus hinc oculi certa duella parant.
Sæpe, nisi primæ starem vigil arbiter iræ,
consererent avidas in mea damna manus.
Numina, Zamelium mihi mox concedite totum,
non erit in sensu pax prius ulla meo.

8. Guilielmo Alardo, Divino Spiritui.

Delicias, Gulielme, meas, tua carmina, vidi,
carmina Pegaseis ebria tota favis.
Ut vidi, ut salii, totis et hiando labellis
mella bibi Joviis eximiora scyphis.
Aurea sopitos ligat hæc mihi crapula sensus,
somniat ambrosiam mens epulata meram.
Ne mihi tam dulcem, socii, rogo, rumpite somnum,
denuo dum similes mittat Alardus opes.

9. Cunrado Bavaro, Historico, antiquario et doctori publico.

Arte gravis, sermone potens calamoque perennis,
quicquid agit Bavari gloria, numen habet.
Orbe super patrioque volat sociabile cœlo,
cœcutit tanto terra supina gradu.
Linquite me, socii. Bavaræ comes additus alæ
ibo per æthereas nil trepidando vias.
Ibo, volabo mei sub hiantia cornua Pindi.
Pegasus est Bavarus, quem mihi quæro meus.

10. Matthiæ Casimiro Sarbievio, ætatis nostræ Flacco.

Cernis Hymetteæ plenum, puer, alvear Ennæ?
Cernis Hyblearum nobile murmur apum?
Mella bibis, nam verba legis, quibus ista papyrus
humet, ut ebriolæ rore cadente lothi.
Queis mihi deliciis avidas pluis undique fauces,
o Casimire, meri ros genitive favi!

Linque, melissa, rosas, thyma linque, melissa, venique,
os tibi flos mellis quilibet istud erit.

11. Hugoni Grotio, Seculi hujus Varroni.

Sive velis dare, sive neges sibi munus habendi,
ambit amicitiam mens mea tota tuam,
quæ licet icta tui radio fulgoris hebescat,
ales ut ad medium noctis alumna diem.
Hoc magis ad tantum tamen evolat acta nitorem,
ipsa volens radiis esse corusca tuis.
Ipsa suam sibi quam non est par demere noctem,
hoc simul a Grotio sperat habetque diem.

12. Julio Guilielmo Zincgrefio, Linguæ Patriæ vindici.

Mercurius cerebrum, mentem tibi Jupiter implet,
suada per eloquium disserit ipsa tuum.
Illa severa jocis, Venus illa jocosa severis,
temperat in calamo se, velut ore, tuo.
Plaudit ovans tanto genitrix Germania nato,
filius in laudem matris hoc omne facit.
Vive, tui vindex, prisci reparator honoris,
hujus es ætatis laus, venientis amor.

13. Danieli Heinsio, Literarum Patrono.

Omne tuæ fueram laudi meritisque daturus,
si quid apollineum posset Apollo meus.
Tu capis ingentem, sed pectore major, olympum,
mortalisque ipsis es prior arte diis.
Nil peregre, petis omne domo, tibi sufficis ipse,
nemoque te melius, te celebrare potest.
Non tamen hoc vereor docto rude sistere mundo,
cui satis est laudes non tetigisse tuas.

*

11. 8 die Dr. 13. Patroni Dr.

14. In gratiam J. Georgii Schilachi ad curatores ejusdem odæ Germanicæ dedicatorium.

Annuus exactos confecit Cynthius orbes
atque novum, verso tramite, pergit iter.
Det pater emensi ter magnus temporis autor,
arbiter et cursus non minus ipse novi,
mollia pacata decurrant otia mundo,
surgat et ex veteri jam nova Marte quies.
At vos, quina mei vos tutelaria Jani
numina, tam niveum sæpe videte diem.

15. Leonardo Domisio.

Ne mihi primævum, rogo, subtrahe durus amorem,
o Leonarde, mei serie cordis amor!
Namque siles. Hoc nempe manes dum longus in actu,
nomen amantis habes, omen odentis habes.
Non, reor, est res ulla, minis quæ vincat amorem,
quæque magis dubiæ suspicionis alat.
Scribe, quid occipias, neque enim mihi dulcius opto.
Mel erit a calamo linea ducta tuo.

16. Valeriano Theodoro Clementi.

Magne laborandi, sed major in arte medendi,
inclytus in chymicis concelebrare scholis.
Nec te Sala tuus tantum miratur et ornat,
te quoque dum recolit, noster Elyster amat.
Quod licet invisus mihi sis discentibus annis,
creber in aure tamen, creber in ore moves.
Hoc, mihi ne solum scirem, tibi scribere duxi.
Sat mihi sit, modo me nil referendo probes.

17. Epigrammata Guilielmi Pafnii.

Pafnius, ille salis lepidi possessor acutus,
quam jacit in Boccam spicula digna trucem!

*

15. 3 manet Dr.

Ridet et arcanum risus sapit ejus acetum,
temperat ille leves serietate jocos.
Cynthius ingenium tam docti nobile vatis
approbat et Clarium quo sciat omne jugum,
Pafne merens, mea post cingat tua tempora Dafne.
Pafnius haud posthac, Dafnius, inquit, eris.

18. Erasmo Schmidio.

Hellada cum Latio patrium qui jungis ad Albim,
magne senex, sancti præsul honore jugi,
et vel epos numerans, vel habens ad pulpita prosam,
Actæos superas Ausoniosque patres.
Ars te septemplex, sed prima mathesis honorat;
se debet calamo Pindarus ipse tuo.
Clauditur angusta, quod habes ex orbe, sub urbe;
se librat in vacuis libera fama polis.

19. D. Christinæ, Suecarum ditionum Reginæ.

Te natalis hyems et patria bruma Trionum
ceu genuit, dominam sic colit æqua suam.
Nunc quoque te Zephyrus noster, velut Auster et Eurus
lene vehendo suam trans sola vectat heram.
Nil æterna tuæ glacies nocet, ignea, formæ,
spirat et e specie gratia verna tua.
Nata puella viris regnare, fac æqua ferendo
omnia, quam patiens, regia virgo, regi.

MDCXXXIII.

20. Ad Suum.

Suscepere mei melos hoc qua fronte patroni,
hoc similis simili suscipe fronte melos.
Nam, quamvis nullo tibi sum conspectus ab ævo,
ducis et in vultu signa faventis habes.
Hinc tibi post illos nostras transcribimus artes,
nempe vel inprimis tu quoque primus eras.

*

18 Smido Dr.

Si quod inest vitium nostri, reor, omne sub hoc est,
illis ipse manu porrigo, mitto tibi.

21. Ad Patronos duos.

Hæc ea sunt vestri, regum pia cura, clientis,
quæ pia pro vestra vota salute facit.
Ac quamvis meliore queant hæc carmine condi,
his majora tamen nemo vovere potest.
Quæ bona Christiadæ vobis abeuntibus optant,
illa, sed in parvo carmine magna loquor.
Sumite, dum sacri puter esse vicarius orbis:
non alio poterat scilicet ore loqui.

22. Amico.

Quod si lecta prius tibi non hæc oda fuisset,
ut faceres, plena porrigeremus ope.
Sed fuit et bona pars vestræ debetur amussi.
Non minor a vero, qui probat auctor erat.
Ac quamvis ad te timidi remoremur ituram,
se tamen instanter clamitat esse tuam.
Istam patronis nostris inscribimus artem,
se tibi patrono dedicat ipsa tuo.

23. Augerii Giselini Busbecii Turcica.

Hujus ad eloquium Solyman mitescere gestit,
barbara mansueto verba lepore pluens;
cui mea nunc primam debet Germania palmam,
quod minus Ottomanos, quam fuit ante, timet,
prodit hic arcani secreta momenta senatus,
qua stet hoc imperium, qua cadat arte, docens.
Credite, concives, oculato credite testi
iteque victores, quam præit ille viam.

*

21. 3 carmina Dr.

24. Fabricii Poetica.

Diva, viret gemini dominans cui cuspis olympi
et fluit ad numerum Castalis unda suum,
indue fronde manus et virgine cingere lauru
scandeque Pegaseum regia mater ebur.
Jam tibi vatidici divina potentia regni
traditur et toto libera jura jugo.
Dumque sodes, hominis reminiscere, diva; dearum
quo sine si fueras, ultima, juro, fores.

25. M. Opitii Vesuvius.

1633.

Non Hegla, non Lipare, non Hecla, nec igneus Ætna,
sique quis in Lybica mons flagrat alter humo,
quicquid in adversum mendax sibi Græcia credat,
majus Vesuvio nomen in orbe tulit.
Ardet hic et quantas non emicat igne per oras,
grandius a calamo vindice lumen habet.
Dum videt indigenas timeat Campania flammas,
tutius hic reliquum cernit aditque solum.

26. Ferdinando III: Secundi Cæs. Augusti, Magni, Felicis, Austrii filio, imperatorio hæredi, Hungariæ Regi.

1633.

Pannoniæ regnator humi, cui confluit Ister
et Savus et Travus et nante Tibiscus aqua,
nomine Cæsareo par, ceu virtute parenti,
ducis ab Austriaca nomen herile domo.
Hesperiæ thalamum debes, sed pignora nobis,
pignora tam divo nulla minora patre.
Quam pius ingentem regnando tueberis orbem,
barbara si tanta concutis arma manu!

27. Joanni Rhenio, redivivo Vallæ.

1633.

Librorum tot o une parens, doctissime Rheni,
edis in Aonium quos sat abunde bonum,

trina Charis grates, grates ter trina Camœna
et grajo et latio datque dabitque sono.
Et tibi concurrens operabitur ore juventus:
Vivat honor nostri, vociferando, chori!
Vivat! ait nitidi croceus pater aeris et sic
in propriis Rhenium vectat ubique rotis.

28. Joanni Belovio, Hygeæ flamini.

1633. December.

Jane, ter eximii successor honore Raici,
qui fuit in vestra prima nitela schola,
quam mihi sit meminisse tui dulcissima cura,
quatuor haud elegis explicuisse queo.
Nec tamen est animus, tibi longius edere carmen,
quippe quod ad tantas nil facit omne vices.
Plenior hoc amor est, quo se minus explicat a se,
non fluit in laxos unda profunda sinus.

Tarpatum.

29. Friderico Menio, poetæ, historico, antiquario.

1633. December.

Ingenii solertis opes, Phœbeia dona,
porrigis effusa, mi Friderice, manu.
Miror et ingenuum laudo donantis amorem,
sed nihil ex merito reddere posse pudet.
Forsan erant, Clarium de me testantia cantum,
non rudis Aonio potor in amne fui.
Vile foret, paribus si æquem tua munera donis,
pro donis melius me tibi dono tuis.

Tarpati Livonorum.

30. Ad se.

Fortunatus eras et multi dives amici,
creber et in denso stabat amante petens.
Nunc sterilis, nunc solus agis viduumque sodale
hoc et, et hoc quereris, nulle poeta, latus.

Quid facias? quid non? Vacuas venaberis auras,
dum tibi, qui minor es, magnus amatur amor.
Contine te, nec quære foris, quod non capis intra.
Si modo te, tibi sic sufficienter habes.

31. Pro amico juvene.

Chare meo, quoque chare mihi, vox blanda duobus,
is comes in tantum non inamœnus iter,
sed quoque pars nostræ non postremissima curæ,
quæ solet ad Clarium pertinuisse virum.
Sit tibi non pigræ studiosa volentia mentis;
ceu potes, ad studium serviet omne tuum.
Consule, quære, roga, pete, scribe, loquator, adito,
non poteris animo promptior esse meo.

32. S. F. M.

Parva loquar, bone, te si nomine digner amici,
si veri, tamen et sic quoque magna loquar.
Numen amicitia non majus in orbe putamus,
numen abusiva sed levitate sequens.
Magnus et in parvo defecerit ille tumultu,
parvus et in magno non abit ille malo.
Tu quia stas audesque sequi, quod majus amico
nomen habes, quod habes nomen? Es alter Ego.

33. Adamo Oleario Narvam.

1634. April.

Indignabar heri, neque enim quid tale putassem,
hospes cum Pindi forte bihoris eram.
Vranie dominis, Polyhymna vacabat amicis,
his Charis hæc, illis illa secunda fuit.
Plectra Thalia movet vernacula, romula Cleio,
officiis studuit sed dea nulla tuis.

Obsequor; auriculam vellens sed Apollo sinistram.
Unus, ait, nobis omnibus ille prior.
Novogrodiæ Ruthenorum. M. Apr. MDCXXXIV.

34. Georgio Guilielmo Pœhmero, nobili juventutis, odæ romanæ dedicatorium.

1634. Sept. 9.

Par erat Aonium digno tibi mittere carmen
inque Meduseo tinctile fonte melos,
flos juvenum, nam tale meres qui sæpius ipse
elicis Othrysias ad tua plectra deas.
Ast inimicus obest tepidis Septentrio Musis,
sic hyemi nullæ mellificatis apes.
Adspice, quod ferimus, nihil est, nisi frigus et algor.
Ut caleat, Veneris est opus igne tuæ.
Moscoviæ. V. Eid. VIIbr: MDCXXXIV.

35. H. Gramanno meo, cum juxta horologium ipse ille sterteret.

Solveris in somnum blandique per otia soles
cognatis satagunt noctibus esse vicem.
Spiritus alternas exhaurit et ingerit auras;
Gramanno reliquum se modo mortis habet.
Corpus habet requiem; dulcem mens Morphea fingit,
pro domino vigilat æs sine fine suo.
Chare deum, dormi; pro te sic vigilat æther.
Quum steteris, salvus, quumque jacebis, eris.

36. Sebaldo Gramanno, Halensium Machaoni.

Magna Gramannorum, Sebalde, propago medentum,
queis patet, arcani quicquid hic orbis habet,
fecit hoc Hartmanni blandissima gratia fratris,
cognitus ignoto sis ut in ore mihi.

*

33. 7 curiculum Dr. 34. 2 atque. Dr. v. 1634. 4 Othysias Dr. 35. 4 Gramano r. te Dr. 36. 1 Gramanorum Dr.

Illius est frons hæc, ait; hoc, ait, illius est cor:
ipse velut te, sic ille fidelis amat.
Chare, quid addubitem? Sed enim, quid, Olympe, moraris,
perdis et invidia gaudia nostra tua?

37. Mart: Munsterbergio, evangelici cœtus in Moscua Pastoris, III. Eid. IXbris. MDCXXXIV.

1634. Nov. 11.

Cum toties noster vestros Auditus amores
senserit, in reliquis fratribus ira fuit.
Olfactus voluit, voluit te Gustus adesse;
Visus ait: veniat! Tactus: o adsit! ait.
Jam vidit Visus; tetigit te Tactus; avara
Gustus in eloquio proluit ora tuo.
Hausit Odoratus, strophio tandem obside misso,
halantes animæ lene-faventis opes.
O favor, o animus, qui, ne dubitetur, obaddit
omnibus infractam sensibus ipse fidem!

38. Levino ab Harthausen, nobilissimo juvenum.

1634. Nov.

At tu flos juvenum, lucenti flammeus ostro
scandis, eques tanti non inhonorus equi.
Sentit onus dominum generosi spina caballi,
aure minatur, ovat gutture, calce ferit.
Sic et abis, nova cura tuis, nova lacryma nobis,
cura tuis, nobis lacryma tristis abis.
Sed, quod ab humenti vix fundimus ore: sequemur.
I, quod agis; nostrum perficiemus item.
In discessu e Moscua M. IXbri MDCXXXIV.

39. Jano Mollero, juvenum ocello.

Jane, Novenarum spes jam quoque certa sororum,
quem Venus et Charis et vult Lepor esse suum,

*

37. V. Eid. IIXbris. Dr.

vidimus, ut totas exhauseris Aonis undas,
fecit equinorum quæ gravis ira pedum.
Quo magis ebiberas, magis hinc saliere madores;
gaudia ter tribus hæc magna deabus erant.
Perge caballinum sic evacuare liquorem:
ebrius hinc nisi sis, sobrius esse nequis:

40. Ad Amicum.

Excusare juvet; neque desperare relictum est,
nostra quod hesterno vox tibi Cressa fuit.
Obfuit alterius favor officiosus amici,
si, quod amicus agit, signa nocentis habet.
Sis tuus et motam calido sub pectore bilem
discute risibili, noster amice, joco.
Fugit Heri, dubiis leve Cras volitaverit auris,
vix Hodie volucres fluxile frænat equos.

41. Bernardo Guilielmo Nuslero, Silesiæ decori.

1635. April.

Si potis ignotæ non spernere vocis honores
admittisque librum, quem peregrinus arat,
hanc ab amantis habe missam tibi pollice chartam;
movet eum genii fama secunda tui.
Hoc si forte tibi videor temerarius ausu,
ignosces vitio, quod mihi servo, meo.
Quæ colo, quæ veneror, fatali concitus œstro,
estis, o Elysii dulcia corda soli!

42. Elisabæ Henricæ Nihusiæ, virginum eruditissimæ.

1635.

Stirps patris Hannonii, Cimbri flos integer Albis,
nympha, per te Esthonicam nunc tenet Harrin amor.
Seu fide, seu tenera resonum quatis aere voce,
velave peniculo, linave pingis acu,

*

42. 2 te fehlt im Dr.

numen habes, nova Pallas in hoc, nova Dædala seclo,
et Venus e labiis spirat aperta tuis.
Virgo potens facie, sed virgo potentior arte,
ars tua vivificat, quos tua forma necat.

43. Ferdinando II. Cæs. Augusto, Austrio, Victori Perpetuo.

1635.

Cinge caput violis et odora fundere nardo,
Cæsar ovans olea, daphnide Cæsar ovans.
Victor es ingentis per atrocia prælia mundi,
prælia post clades non habitura pares.
Mollia placati dimittunt prælia cœli,
pax per inoffensos libera ludit agros.
Ferdinande, Deo datus et debendus eidem,
non poterant, nisi te Cæsare, tanta geri.

44. Προσφώνησις Super nominale Timothei Poli, V. C.

1636. Jan. 25.

Præsto, præsto, Joci, Sales, Cachinni,
præsto cum Salisubsulis Lepores,
Risus, Gaudia, Jubili, Venustas,
Liber, Come, Venus, Cupido, Lusus,
et facunda cohors Lubentiarum,
et plebs risibilis Facetiarum,
et gens mobilium frequens Amorum,
præsto, præsto dii deæque cunctæ,
et quicquid lepidum per astra vivit!
Hac Polus Genio litabit hora.

Revaliæ. IIX. Kal. Febr. MDCXXXVI.

45. Mariæ Joannidi Mulleræ sponsæ, cum revalesceret Revaliæ.

1636. Anfang.

Tertia tergemino febris urget in igne Mariam:
deserit ast quoque nunc tertia febris eam.

44. 2 Salisubsalis Prodr. Salibus salis Dr. 6 visibilis Dr.

Nil nocuere metus, tacitæ nil frigora flammæ,
illam nec timor est hic potuisse mori.
Nonnisi Revalia potuit revalescere terra.
Quis medicum dubitet nomen inesse loco?
At tibi quod triplici demptum est in corpore morbo,
accedat vitæ, nupta Maria, tuæ.

46. Salutat Magni Moscoviæ Principis Archiatrum. Sub ingressum urbis capitis MDCXXXVI. proprid. Kal. Aprilis.

1636. März 30.

Nil nisi te salvere volo præsente papyro,
o desiderii febris adulta mei!
Nam, quamvis non pauca forent, quæ scribere possem,
ardeat in cultum mens mea quanta tuum,
sed quia suspectæ non fidimus omnia chartæ,
libera nec coram jungere verba licet;
differo securas, licet haud invitus in horas,
cum tibi me, mihi te dux Adeona dabit.

47. Bernhardo Torbecio, Secretario urbico, fraterno capiti.

1636.

Heic, ubi tergemino distinctum flumine Moscum
jactat obauratum celsa per astra caput,
sum memor et maneo, te, dilectissime rerum,
nomen amicitiæ dulce dedisse meæ.
Ceu mihi te Revalis fecit, retinebit amicum
Moscua, nec Lethæ flumine Persa trahet.
Sim modo, sim quocunque hominum, quocunque locorum,
inter amicorum nomina primus eris.

48. Jano Paulo Crellio, fraterno nomini.

1636. Juni 25.

Pone merum, dispone dapes; nihil absit amorum,
quod bonus hospitibus, quo ferat, hospes habet.

*

46. MDCXXXIV D. 1 volo salvere Dr.

Musica conveniat, cujus pars ipse sat ampla es;
nec careat dulci virginitate chorus.
Nam meret illius hoc sidus geniale diei,
qui tibi cras roseum pingit in axe jubar.
Hoc facis, hoc video, doleoque, rogando quod instas.
Non ero lætitiæ pars, quia cedo, tuæ.

Sub exitum e Moscua. MDCXXXVI.

49. Ut excellenter docto, sic strenuo Olearío, legionis ex tribus mediæ viceduci, cum per Russiam ad Persas iremus.

1636. Aug.

Dux erat Aonios Olearius ante per agros;
nunc gerit alta tholi signa, Gradive, tui.
Nec solum, quam Cyrrha bibit, sitit igneus undam,
jam quoque barbarico sanguine flumen amat.
Sic bene qui docuit, minus haut bene dimicat idem,
illius officii culmen et hujus apex.
Clare toga, metuende sago, bene Pallada Marti
junxeris: hæc eadem nam cataphracta docet.

In Volgæ ripa.

50. Philippo Crusio, regni Norvegiæ hæredis et Holsatiæ Ducis Friderici legato et apud Persarum Regem Schah Sefi oratori, admisso XXIV. Augusti MDCXXXVII in regia Hisfahanensi.

1637.

Fare, diserta sacræ, tandem, facundia linguæ,
dum sedet et tota rex favet aure tibi.
Nam quid ab hac timeas tibi majestate tremendum,
qui toties ipsos scis monuisse deos?
Spondet amor procerum, facies clarissima cæli,
aura silens, spondet tanta per acta fidem.
Fare volens, facunda sacræ præstantia linguæ:
quid neget huic homo rex, cui nihil ipse Deus?

*

49. Ducis Dr. 50. MDCXXXIV Dr. 4 quæ Dr.

51. Olearii Geographia apud illustr. legatos in Persia.

1637/38.

Hic Afer, hic Asius, hic Europeius orbis
ille triplex una cernitur, ecce, scheda.
Maximus in minima, vide, cernitur ille papyro.
Grande, nec arte dies quale scit ullus opus!
Jupiter e cerebro diam genuisse Minervam
dicitur: hanc sobolem dextera docta parit.
Hæc quia nata venit similis Jovis omnia proli,
quis putet hanc cerebrum non habuisse manum?

52. Pararaphrasis psalmica Jeremiæ Hoeltzlini.

Ille Deo plenus liber, ebrius omnis olympi
ille, quid eximius jam meliusque placet?
An, quod ab Ebræis Latias cantatur ad aras?
An, quod artifici dexteriore sonat?
Sume chelyn, moderare fides plectrumque vibrissa,
regie flamen, et hoc exprime voce melos:
audiet et justus feret hoc simul arbiter æther:
tu cythara, magis at vocibus illa placet.

53. C. Bauhini Pinax.

Quid mihi me simulem, fatuus cum pluribus illis,
qui, peregre nisi sint, nil sapuisse putant?
Non mihi perfectum visa est Europa medentem
gignere, cum tellus omnia nulla ferat.
Hinc Asiam petii; nec erat procul Africa nobis.
Juro, nihil patria plenius esse mea.
Quas vidi, quas non, liber unus hic exhibet herbas:
munde, vale, liber hic floreus orbis erat.

54. Laurentii Rhodomanni Poesis græca.

Prime poetarum, quos Teutones erudit Hellas
tamque facit lepide, quam solet ipsa, loqui.

Atticus esse tuis potes hinc Cecropsve videri,
os et in Aonio verna lavare vado.
Hactenus Ausonium Germania duxit et ipso
tersius est Latio visa quid ausa loqui.
Roma, dole minus, es quod victa: Tuiscon Athenas
nunc in Alemannis ore triumphat agris.

In hunc librum pertinent quoque sequentia epigrammata, quæ in amicorum manibus sunt et de quibus inscriptiones mihi saltem remanserunt.

1. Emanuelis Sontomi Sacra.
2. Antiquitates Rosini.
3. Oswaldi Crollii Basilica.
4. Pornoboscodidascalus Barthii.
5. Demantii Polyhymnia.
6. Rudulpho Buchbacio Chronologo.
7. Ottiliæ Godfridídi Deuerlinæ.
8. Olearii Poesis.
9. Poculum mundi Astrachani.
10. Ad Cupressum, sub qua languebat in itinere Persico.
11. Violæ et Narcissi, donum Imhofii m. Novembr. in Isfahan.
12. Flos Vitæ, quomodo peris: Somnium poetæ in Persica.
13. Basilenæ nominalis inter Persas.
14. Ligno non ferro. Inscriptio ad crucis signum in refectorio Carmelitarum Hisfahani.
15. Inter buxeta Gilani.
16. Abdul Babylonius Minatschim, Philosophus Arabus Chani Schamachiensis.
17. Lachrymæ Olearii super Alexandro M. inter barbaros.

*

Deperd. 4 Bornoboscodidascalus Dr.

EPIGRAMMATUM

LIBER V,

SIVE

ANIMÆ.

Venerabili Et Excellenter Claro M. Salomoni Matthiæ Germano In Inclyta Livonorum Tarpatensi Doctori Publico Et Ecclesiastæ, Affini Intimo Inviso, Sed Non Inviso Volens Inscribo Paulus Flemingus Medicus.

ANIMÆ.

1. Sidoniæ conjugi Scheinianæ.

Albis amor, Philyrique decus, Sidonia, Plissi,
funere quam rapuit Lipsia, Dresda dedit,
sic fugis et medio languens intercidis ævo,
fœmina Sulpitios vivere digna dies.
Flet pater et gemina mœstus cum prole maritus.
Congemit agnatis lacryma nostra tuis.
Sidus eras terris: hinc te nitor abstulit æthræ.
Sidera Sidoniam jam reperere suam.

2. Mariæ Julianæ Baronis Schœnburgiæ tumulus.

Man. VII, 2.

3. Joanni Samueli Scheinio.

1630.

Spes patris et brevis hei! morientis amatio matris,
quam sequeris nimio pronus in astra pede,
ver erat illa tuæ facies blandissima formæ.
Hei! tamen et citius sic quoque vere perit.
Candida per roseas miscens se gratia malas
livet, ut in violis serior albet hyems.
Belle puer, sic atque tui flos integer ævi,
flos perit, in sicco vivit odoris honor.

4. Ad Animum Simonis Gryphii.

Dic, jucunde meæ quondam coamice juventæ,
quo pede, qua tacita pergis ad astra via?

Sto comes et tantum nec iter nec abhorreo tractum,
promptus ad obsequium, qua fugis, ire tuum.
Chare, siles? dilecte, fugis? dulcissime, cedis?
Solus in invisa te sine linquor humo,
o tibi ter, quater o tibi, felicissime, fausto,
hinc sed o infausto terque quaterque mihi?

5. Stigelio parentat.

Debeo, namque meres, meritam tibi scribere laudem,
o pater, Ascreæ nobilis auctor aquæ.
Quantum divino concessit Naso Maroni,
tantum Nasoni proximus esse potes.
Namque stat in te laus elegis ad summaque ducti
subsistunt, nec, quo progrediantur, habent.
Qua tener ingentem celebratur Naso per orbem,
hic sua Stigeliæ portio laudis erit.

6. Nicodemi Frischlini memoriæ.

Illepidus Lepor est flenti similisque Cachinnus,
torvus it a nimia serietate Jocus.
Nec scit Apollo lyram, nec Amor tractare sagittas,
signa venustatis non habet ulla Venus.
Cur? quem caussa latet, nisi quem latet ipse Cytheron,
annuus in planctus cui perit iste dies?
Numina cui faciunt huc usque hæc justa quotannis,
quem qualemque putas, Mome, fuisse virum?

7. Tumulus Pauli Melissi Schedii Franci.

Conde, melissa, favos et olentia digere mella,
mella, mellisseo lingere digna labro,
hucque fer. Hic jacet hic, sua quem ceu mella favosque
æstimat Enna, dator mellis et Hybla favi.
Alvear hic tibi sit domus hæc, quam circiter ingens
Flora coloratis ambit et ornat agris.
Sique quis ista legens tantum colet advena vatem,
huic aliquid cito fer mellis, alumna, tui.

8. Theophrasti Bombasti Paracelsi etc. encomium.

Unice mortalem transgresse per omnia sortem,
digne deus dici tunc, homo quando fores,
et stupor et magni gravis admiratio mundi
Europæque decus, quæ tibi mater erat,
Auster et, et Boreas, Zephyrusque Eurusque fatentur
majus ab ambiguo te nihil esse polo.
O sacer, o seri ter certe salutifer ævi,
par nihil est laudi, ceu tibi nemo, tuæ.

9. Davidis Chytrei obitus.

Sancte, nec ad vulgi descendens frivola vates,
numen habet, quodquod scribis et edis epos.
Ipse salutaris factus sibi plaudit olympus,
te per et Aoniis perplacet esse piis.
Ergo tuum terræ pertæsus inanis ad Othrym
scandis et a summo despicis axe solum.
Sic, quas ante procul mulcebas carmine Musas,
cominus alloquio jam meliore beas.

10. Obitus Frid. Taubmanni.

Albi pater, miseris huc arrige cornua villis,
littoris interiit gratia prima tui.
Taubmanus occubuit. Meriti cape signa doloris.
Muldides, Albidibus tristia flete pares.
Saxonis Ositias huc collige, Flora, Napæas.
Huc Sala, vicinis huc flue, Plissus, aquis;
flumina, non lacrymæ, plorent decus illud ademptum
proque toro flores flos meret ille meros.

11. Epitaphium Godfridi Raspii.

Man. VII, 9.

12. Rogerio Colandro epitaphium ponit.

Chare vir Albidibus, quæ dum modulatus es illinc,
luxuriasse suis sponte feruntur aquis.

*

8. Bombastii Dr. 9. Lies: Nathanaelis Chytræi. 10. 5 Flore Dr.

Nunc lugent, madidis quatientes pectora palmis,
proque tuo læto dant tibi triste melos.
Ipse pater fluvii, natarum fractus hiulcis
planctibus, attonitas per boat asper aquas.
Audit hoc et tumidas patienter eundo sub undas
aggemit infaustis littus utrumque deis.

13. Joannis Barclaii exspiratio.

Maxime scriptorum, quos serior extulit ætas
primævisque styli fecit honore pares,
utere sorte tua, tua quam tibi cura paravit,
viveque, dum moreris, stansque perenne, cade.
Argenis alloquitur totum tua nobilis orbem,
nomine de domini non tacet ille liber,
ut, celebrem populis quem fecerat antea vivum,
jam faciat cunctis gentibus indigenam.

14. Ambrosii Lobwasseri recordationi.

O pietatis apex, ars in quo culminat omnis,
an pius, an doctus sis magis, in dubio est.
Nam tibi sacrarum sinuosa volumina legum
tota patent, animis tota recepta tuis.
Sed magis æthereæ quod doctor es entheus artis,
cogis et in numeros cantica sancta tuos,
docte pie, pie docte, animæ sit leniter isti,
eusebie mera quæ delitiæque fuit.

15. Detrectatori suo.

Nomen adhuc taceo, licet haut sim nescius ejus,
idque volens, donec te premis, ipse premam.
Hoc scio, quod nobis magis adversarius alter,
quemque minus timeam, non sit in urbe mea.
Sis inimicus, ut es, sed eris mihi semper amandus.
Utque magis placeas, sis magis ille mihi.

*

13. Barclai Dr.

Si bonitate malos vinco, pietate profanos,
in me nil livor, quod reprehendat, habet.

16. Beatæ Mariæ Mœsteliæ, quæ medium ædificii tabulatum dum scandit, inopinato casu ad terram data et concidentis parietinæ mole obruta, expiravit.

1632.

Morbida dum scandit cariosi limina tigni
et nutaturam virgo Beata domum,
fracta renitentem fallit tabulatio plantam,
nec facit ad vitam virginis, esse levem.
In subito ruit illa gradu pariesque cadivus
molle superlapsa mole trucidat onus.
Illa Deum vocat et sociis: »Ne flete cadentem,
non feror ad terram,« dicit, »in astra feror.«

17. Ad Christophorum Preibisium pro funeratione Hencelii.

Sis, ut eras vivo, jam nunc pater, optime, functo.
Filius est, sacra fac: es pater, infer humo.
Quem pia sponte tua tibi fecit adoptio natum,
nunc tumulus faciet rectius ejus eum.
Vixit ut ille tua, sic est quoque mortuus in spe.
Ut vegeti, curam sic morientis habe.
Qui generat, pater est; pater est, qui suscipit ortum.
Rectius ambobus, qui tumulat, pater est.

18. Annæ, Magdalenæ et Judithæ von Wirthiis, uno funere abreptis virginibus.

Flete, piæ Charites, vestræ periere sorores,
aut si flere deas grande, dolete, deæ.
Si vel et hoc nimis est, votis ignoscite justis
vosque bonæ, lacrymis induitote meis.
Anna, decus generis, flos Magdalis integer ævi,
gratia virginei blanda Juditha chori,
ite sub halantes violis, pia triga, cavernas,
quodque polo incipitis, desinite esse solo.

19. Joanni Tzerclao Tillyo, supremo copiarum duci.

1632.

Tillyus est, hospes, tumulo qui clauditur isto.
Fama viri nullo clauditur ampla loco.
Ille tot exuviis, raptis tot ab hoste trophæis
aureus, hanc urnam pulverulentus habet.
Marte parem toto qui vix vidisset in ævo,
morte sibi cunctos jam videt esse pares.
Hospes, honorato votis excede sepulcro,
in Martem morti nil licuisse putans.

20. Papenhemio, castrorum Cæsareorum Mareschallo.

1632.

Clarus avis, virtute mea sed clarior ipse,
morte mea mortem cogo perire meam.
Major Ulyssea mea dexteritate triumphat,
majus Achilleo robur ad arma fuit.
Belga scit et nostræ felix Sueo caussa ruinæ;
rectior e casu stat mea fama suo.
Sumite, posteritas, nostrumque recondite nomen,
sanguine transcribo quod pius ipse meo.

21. Ingewaldo Crusio.

Credite, Pierides, nec enim non visa reporto.
Hoc super omne quidem, numina, nostis opus.
Stabat inornato me juxta Crusius ore,
qualis in Augusti funere regis erat.
Stabat et infausti quo, nescio, murmure somni
ruptor, in has grave quid flabat ab ore genas.
Dicite, Pierides, nec enim color iste recedet,
dum, quid agat Crusius, quid valeatque, sciam.

22. Ad Legatos.

1633.

Illa sub indocto stridentia carmina plectro,
carmina Castaliis nausea tota diis,

*

20. 4 fui Dr. 22. 1 carmine Dr.

has nostras, has ruris opes, vos, gaudia regum,
sumite, sed facili sumite, quæso, manu.
Forsan erat melius tenebris damnata sileri,
tempus at officii nos monet esse reos.
Quum meus omne viæ vobis ferat exitus olim,
illius introitu velle silere probrum est.

23. Ad Nobilissimum Suum.

1633. Aug.

Cresce, puer patrios aucture potenter honores,
hæres tantorum degener haut es avum.
Dum nimis abfuero, brevis hei! tibi ductor ad artes,
indue sub prima schema virile toga.
Osculor ingenium, dotes dissuavior istas
et, nisi tu fueras, non abiturus eram.
Longior ut pronis præsim tibi doctor in annis,
debueram brevior jam comes esse tibi.

24. Hermanno Samsonio.

1633.

Summe cathedrarum, quibus inclyta Riga beatur,
Riga, salutiferi curaque corque Dei,
vidimus in facie, scriptis quem legimus ante,
audiimusque tuo fulmen ab ore potens.
Vidimus, audiimus. Quo non felicior alter,
seu doceat, doctum, seu quoque scribat, agit.
Quando doces, uni duntaxat consulis urbi,
quod scribis, curam totius orbis habes.

25. Ad Candidum S.

1634.

Quod libet Othrysios propius lustrare Triones,
quique per Eoas imperet Eurus aquas,
is comes, integrum mihi vix, Felidorde, per annum
note, sed infracta jam mihi note fide.

*

25. 4 nota Dr.

Tecum ego vel miseri Livona mapalia Letti
vel poteram Russas lætus amare casas.
Hæc maneat tibi mens. Ubi ubi nos simus amantes,
patria pectoribus terra duobus erit.

26. Secum.

1634.

Rideo, si patrias memini rediturus ad oras,
si spatium, quod abest, supputo, triste fleo.
Tædet, ubi pleni per iter reminiscimur anni,
sed piget: ad reliquas non facit ille moras.
Ridentes flemus, flentes ridemus et una
lacryma sub siccis risibus uda cadit.
Risero sed frustra, frustra sed flevero, donec
jus habet in sensus ille, nec illa meos.

27. Amico quasi non certo.

Est tamen a vulgo stans fama remotior omni,
summus ab inferno quam procul axis abest.
Est tamen, est aliquid, quo non tuus esse videris,
quod sub amicitia fel ais esse mea.
Nulla sibi similes rumpet discordia mentes,
præscia quod statuunt, fortiter astra regunt.
Sidereos ergo de nobis consule fasces,
hinc tibi sim similis dissimilisve refer.

28. Eidem.

Sit, quia vis adeoque mei te tædet amoris,
et tibi jam nostro friget ab igne calor!
Ipse quidem doleo, nos falsis illita spebus
pectora de nostra sollicitasse fide.
Sed sciet Omniscius, quod in hoc sim criminis expers,
invoco juratos in mea verba deos!

*

27. 1 und 3 Et tamen Dr.

Sit, quia vis, quia durus abis flectique recusans,
i tamen et magno dic tua facta Deo.

29. Philippo Crusio, Icto et Legato, obitum uxoris lugenti.

Stat Pietas et honora Fides sociumque Decoro
Fas et, ut usque tibi collacrymemur, avent,
magne vir et tantæ caput exoptabile caussæ,
unde sibi Moschus Persaque sumet opem.
Interit hei! medioque cadit tua Barbaris ævo,
Barbaris, officio non caritura meo.
Hos gemui gemitus, has flevi languidus undas,
in quibus, ut moveant, ablue, quæso, tuas.
MDCXXXIV. Vernaculi dedicatorium.

30. MDCXXXIV. V. Martii, quum Novogrodiam intraret, accidente vesperi eclipsi lunari.

Sed tamen ingrediar, frustra renuentibus astris,
astrorum dominus pergere quando jubet.
Præscia suspectos confundunt sidera fasces,
sed nihil innocui, quod vereantur, habent.
Subsumus inferni superis, tegit omnia cœlum.
Astra regunt homines, dirigit astra Deus.
Astrorum est lumen, quo si irradiabor ab astro,
eclipsis fuerit nulla nociva mihi.

31. Bugislao Rosen, Nobili Livono.

1634.

Fles, pater, absumptam præcoci funere natam,
quæ genii vivum cœlitis instar erat.
Non fuit in medico, non in vernantibus annis,
invida crudelis sistere fata deæ.
Omnis ad exequias tecum pia confluit Harris,
appluit et lacrymis flumina salsa tuis.

*

30. 7 quod Dr.

Fle, pater, et natam generasse memento cadivam,
quæ, nisi sic caderet, quam male staret humo!

32. Accusat moram, quam a siderum dispositione ortam suspicatur.

1634. Juli.

Cœca silens quintum jam cornua noctibus abdit
et toties plena Cynthia luce nitet.
Nos vetus invisis retinet Neogardis in ulnis,
hei! nimis hospitibus lenta ministra suis.
Arbitror, evenit sic dispositoribus astris,
cum mulos ageret furva Diana nigros.
Ah mora, fatali si nos ex lege fatigas,
hei! mihi quid fatum tarda morare meum?

33. In Michaelem Borissovicium Schein, copiarum Moschicarum supremum Ducem.

1634. Aug.

Ductor eras tanti, statuente Ruthenide, Martis,
mors rapit ad turpem jam tua colla necem.
Se curæ dabat illa tuæ, necat illa securi,
secure curæ nam geris arma suæ.
Vah pudor! hostiles quid erat timuisse Polonos?
Quam fugis, in patria te manet hora domo.
Vivere qui poteras omni laudabilis ævo,
morte peris omni dira merente die.

34. Memoriæ Tobiæ Maii.

Sæpe, meo mihi te, Tobia, referente Gramanno,
vulneror ad nomen, nomen herile tuum.
Vulneror et doleo, Majo quod floris in ipso,
Maje, sub umbrosas iveris orbe domos.
Hei! decus ingenii tantis maturius annis!
Hei! cor Apollinei, Maje perempte, chori!
Si quis honorati cineris sub pulvere sensus,
leniter a blanda voce recultus, ave.

35. Super symbolo Henrici Arningi: Beat servata fides.

1635.

Sancta fides, servata beans servansque beata,
serva, quo server, quo beer, ipsa bea!

36. Christianæ Timotheæ Polæ.

1635. Mai.

Parva, quid e nostro properas ita, filia, mundo?
Quoque venis, vix non sola recedis eo.
Sed modo, dum properas, dulcis Timotheja, parentes
tecum tracta trahis, quo tua fata trahunt.
Cerne patris subita confusos morte cachinnos,
cerne brevis risus matris in ore notas.
Pergis at, et tam vile negas, ne forte morando
maxima pro minima gaudia sorte loces.

37. Baptismus Beatæ Philippinæ Nigrinæ.

Indue candidulum, Nigrina tenerrima, Christum,
utque beata sies, sume, Beata, polum.
Non, nisi sunt tenebræ, nisi sunt damnata Gehennæ,
quæ damnata tibi suadet et optat humus.
Qua sed aqua nigra jam, jam quæ damnata lavaris,
discutit has sordes, hæc ea damna beat.
Væ tibi! nam damnata fores, si nigra maneres.
O tibi sit bene nunc! Alba, Beata, mane.

38. Dedicatorium Odæ Germanicæ super obitu Elisabetæ Paullæ Revaliæ.

1635.

At tu, terreni mulier pertæsa laboris,
tendis in æthereas facta beata domus,
et vitam pro morte tenes, pro Marte quietem,
pro lacrymis risus proque labore decus.

*

37. 1 Inde Dr. 8 manes Dr.

Nos procul a fausto, quod habes nunc enthea, cœlo
inter anhelantes flevimus ista plagas.
Sis felix, sis semper ovans et in axe beata
consortesque tuæ nos cito lucis habe.

39. Ad eandem a quarto puerperio excedentem.

Fausta paris, mox festa peris, bis sextaque nato,
quæ lux ad vitam, nox tibi mortis erat.
Pro genito genitrix vitam ter fida relinquens,
pergis in Elysias, dulcis Elisa, domos.
Pulcra cadis. Parit ille poli tibi gaudia partus
et nimiæ laudem fertilitatis habes.
Hoc peperisse juvat, juvat hoc periisse, sed opto,
eveniat natis longior hora tuis.

40. Epitaphium.

Man. VII, 29.

41. Tumulus Georgii Ossæ, pii et frugalis senecionis.

Man. VII, 28.

42. Tumulus Jacobi Andreæ Graulii, patroni quondam domestici.

Man. VII, 30.

43. Henrico Moriano, mercatori doctissimo.

1635/36.

Mercurius mentem, linguam tibi temperat Hermes,
hinc genus ad vitam mercuriale geris.
Traditus es primo Musis felicibus ævo,
unde tibi poterat surgere pulcer honos.
Ast ubi plena viri Lachesis tibi duceret annos,
pro pluteis abacum convenienter amas.
Callidus, ex genio divi tibi præsidis, hercle!
ne sis ære malus, fis prior arte bonus.

44. Inter beatos Felici Joanni Burcardo, Medicinarum apud Revalienses patrono.

Man. VII, 31.

45. Funus Tobiæ Hubneri.

1636. Aug.

Curat honoratum divina poetica funus.
Ipsa gemit tantæ præfica Juno necis.
Phœbus it exequias et totus Apollinis ordo
et Lepor et niveo Gratia juncta Joco.
Thura Venus adolet, Paphyæ pro termite myrti
busta cupressifera fronde sublimat Amor.
Ite procul, vates et quicquid ubique faventum est;
justa parant socio diique deæque suo.

46. Tristes novellæ.

1636. Aug.

Ah! nimis infelix, nec adhuc sat passa furorum,
quum raperet Mysias Austrius ignis opes.
Misni, quid infidos diri patrare Triones
audio, quid gelidum, fœdus inane, polum?
Hostis erat, non hospes erat, probat exitus artes.
Quotque dedere manus, tot gemis esse pyras.
Parce parens lacrymis nihil effectricibus. Ille
non nisi Cerbereis ignibus ignis obit.

47. E naufragio liberi.

1636. Nov. 15.

Vivis enim, sed functus eras, infauste poeta;
vivis adhuc? Domino da pia vota polo.
Salsus amararum quoties dabat æstus aquarum
jamjam mergenti pallida signa rati,
signa dabat. Dabat illa fidem submersaque sedit.
Tu, quod habes vacuum littus, inanis ovas.
Fidite perfidiæ, quibus est mens, fidite ponto
vosque salo; soli me bene credo solo.

48. Post convalescentiam a febre Schamachiæ in Media.

1637.

Langueo, nam calui. Nec adhuc focus ossa relinquit,
fervet adhuc tacitis usta medulla rogis.
Surgere collapsas tamen undique sentio vires,
purior et melius spiritus epar init.
Promptior ad laudes se mens quoque sistit et orat,
fortius invalidas usą precando manus:
conditor, es facilis totamque remitte salutem
et fluet in grates corpus hoc omne meras.

49. Sandersonio nostro inter hiacynthos tumulato.

1637. März 27.

Mortuus inveneris, cum vitæ redditus esses,
quamque febris nequiit, dat tibi languor humum.
Sic perit, ad medium qui flos stetit integer æstum,
quum glomerat tepidos vesper opacus agros.
Mortue sorte tua, nostra cape sorte sepulcrum.
Caussa necis multi mors tua floris erat.
Funeris hos socios, comites hos accipe tumbæ,
dum nostram toto quærimus orbe scrobem.

Semidui itinere a Schamachia in Persia.

50. D. Ferdinandi II. Rom. Imp. semper Augusti, Austrii, Pii, Felicis, Triumphatoris perpetui, excessus inter Mauros nunciatus.

1637.

Ferdinande, deus jam nunc assuesce vocari,
cujus eras species hactenus atque genus.
Sit licet imperio tua transmutatio toti
flebilis, auxilium certius inde feret.
Quod divinus homo es vario tutatus ab hoste,
jam deus ætherea semper obibis ope.
Victor o, o patriæ pater, o Germane, triumpha,
inspira genito patria cuncta tuo.

*

48. 4 melias Dr. 50. 7 triumphe Dr.

51. Ædibus sacris, in quibus per Parochum Armenum a furiis Indorum tutus asservabar Isfahani VII. Aug. MDCXXXVII.

Maure, quid hos super hoc dispersos limine flores
miraris, quid in hac hæc perarata trabe?
Ille mihi sacer est, sacer est velut ille Jehovæ,
proque mea stetit is ipse salute locus.
Dum furit Indus atrox, fuit illa paventis asylum,
intus alor, multus dum comes extus obit.
Grata mihi, sis chara tuo, domus inclyta, cœlo,
cujus eras, morti me removendo, vicem.

52. Parentat itineris comitibus per tumultum ab Indis interfectis.

Insontes animæ, junctæ felicibus umbris,
quas sceleris juvit nullius esse reas,
si desiderio vestri nimis uror et aptum
scribere me proprius non sinit angor epos,
condonate, precor, vestroque favete sodali,
qui, fera dum crepitant arma, quod hic stat, agit.
Sanguinolenta cohors, vestro maculata cruore
livet et ad meritas se trahit ipsa cruces.
Ipso interfectionis die
VII. Aug. MDCXXXVII. in Persarum metropoli.

53. Jano Rudolpho Statlero, Helvetio, a Mauris ob confessionis perseverantiam interfecto, vere Martyri hodierno.

1637. Oct. 3.

Missus ad egregium lictor diversus Ianum,
dejiceret patria qui cor herile fide;
major ad hæc animis semper: »quin debeo regi,«
martyr ait, »carnes has animamque Deo.«
Trux fremit ergo cohors et acinace vulnera stricto
quatuor in sanctum fert rabiosa caput.
Nil dolet ille cadens. Quod si dolet, hoc dolet unum,
plures se vitas non habuisse neci.

*

53. 8 So aus Olearius' Reise p. 399: habuisse dolet Dr.

54. Mulieres ad scrinium plorantes.

Luctificæ species, quibus humor it omnis in ora
et cadit ad gemitum lacryma larga suum,
parcite defuncto, vobis, rogo, parcite, lassæ.
Nil juvat hic illum, vos dolor iste necat.
Pergitis ast capitisque pie tot vulnera chari
perpluitis salsis, quas gemuistis, aquis.
Pergite, dum vultis, me dum reputare sciatis,
quot videam lacrymas, tot cecidisse rosas.

55. Beatus loquitur.

Quid mihi, quod vivo tam suadebatis, amici,
dum morior tali funere, detrahitis?
Vivere debueram, sic quando liceret et ore
me potuisse viris, corde placere Deo.
O male persuasi! Quid nomine fallitis isto?
Turpior est Mauro dogmate vestra fides.
Si mea Christicolis mors non placet omnibus, æque est;
salvor ab hoc, Christo quod placet illa meo.

56. Epitymbium.

Cernite, consortes fidei, me cernite, Mauri,
queis ego lætitiæ tristitiæque fui.
His, quia pro patrio neglexi vivere Christo,
illis, quod moriens martyris instar eram.
Forsan utrique meo poteratis discere facto,
vita quod haud nulli post sit habenda neci.
Plaudite, consortes; Mauri, trepidate, quod hic sum.
Vindicias, quas non posco, Jehova parat.

57. Sermo funereus super dicto Apocalypsis: Esto fidelis usque ad mortem et dabo tibi coronam vitæ æternæ.

Clamat olympus: »ades!«, se clamat adesse Rudolphus.
Quam bene quærentes se reperere duo.

*

56. 1 Cernite, Christjani, pariter Olearius' Reise p. 399, wie auch v. 7 Plaudite, Christjani.

»Fare,« Rudolphus ait. »Quin fabor,« olympus: »ad imum
sis, quod es, et vitæ mox diadema dabo.«
»Ah ero!« martyr ait. Maurisque ad fata vocatis;
»cædite me, nam mox pulcrior,« inquit »ero.«
Occidere simul dixisseque vera scierunt,
gemmula nam quævis gutta cruoris erat.

58. Tres candelæ super funus ardentes.

Quid notat æthereæ triplici sub imagine flammæ
splendor ab extincti funere lapsus heri?
Hoc notat: in Triadem cecidit, ceu credidit unam,
qui jacet: ardentem fax notat illa fidem.
Sic nitet in superis, velut hic micat aureus ille
totaque perpetuæ commoda lucis habet.
Fortis o, o constans, o perfectissime, salve!
Clarus es ante homines, clarus es ante Deum.

59. Processio Armeniorum Archiepiscopi, qui funeri obviam veniens benedixit.

Bajule, siste pedes; pie bajule, pone feretrum;
bajule, depositi detege claustra cadi.
Obvius ipse suo procedit Christus amico,
atque »mei cœli dulcis es hospes,« ait.
»Credite semen agro, messis venit obvia quondam;
hinc ego millecuplo fœnore dives ero.«
Hæc ait, et sanctum secum super æthere mentem
Christus habet. Placida condite corpus humo.

60. Ut redeat in patriam, optat.

Inter Hamadryades et amantia numina montes,
me memini blandis sæpe fuisse modis.
Mulda parens aderat bene multaque Nais et heræ,
quæ legerent pictis commoda verna vadis.
Hic medius varioque comans a flore sedebam,
nec puduit tantos me nitidare deos.

Si qua mei vobis est, patria numina, cura,
o mihi præteritas mox renovate vices!

61. Patriæ se oblivisci non posse.

Nais amœna, soli patrii formosa Napæa,
pulcra Pales, Chloris culta, serena Dryas,
Pan fere, Faune salax, Satyre improbe, crude Priape,
Muldaque, Sudetæ trux procus Herciniæ,
dum voco vos, nec adestis, ad hæc modo vota favete,
o desiderio numina lassa meo!
Hic licet inteream vestrique cupidine frangar,
vivo tamen, vestræ quando recordor humi.

62. Angitur desiderio patriæ.

O dea, me primis amplexa fideliter ulnis,
hei! mihi continuus perpetuusque dolor,
nam quid abes, nimis his, nimis adversaria votis?
Ah sequar! ah ductu me trahe, nympha, tuo!
Quid sinis indigenam peregrina morte perire?
Æquius in facie, diva, peribo tua,
ut, quem prima pio nascentem more levasti,
ultima materno contumules tumulo.

63. Patriæ desiderium.

O quæ perpetuas facitis in vallibus umbras,
Muldides, o patriæ numina chara meæ,
vos volo, vos cupio, vos nocte dieque saluto,
ut liceat vestro rursus amore frui.
Nam quid erat melius blandis amplexibus illis,
in quibus hanc animam semper obire velim?
Scitis hoc, o dominæ, licet hoc vos scire negetis,
hinc rubor est vobis, pallor in ore mihi.

64. Patriam desiderat.

Perpetui saltus immortalesque Sudeti,
qui tegitis valles rore comaque meas,

*

60. 7 curæ Dr. 64. 2 degitis Dr.

Muldaque continuis defensus opaciter umbris,
fervida qui salubri diluis arva gelu,
quid, nisi vos mediter dicamque: piissima rerum
nomina, me vobis reddite vosque mihi.
Numina, nam dabitis, quod filius expeto donum,
jugiter hinc eritis vos mea, vester ego.

65. Æmulatio.

Hoc volo, quod reprobo. Mea me mora promovet ipsa.
Assiduus fugio continuusque sequor.
Siste parum, mea mens. Quid te capis ipsa fugiente?
Quid, quod odisse libet, tam cupienter amas?
Te trahe, te per te tibi redde, nec urge, sed asta;
obvia nam renuis, dissita quando petis.
Ista cadunt, aliena fluunt, peregrina fatiscunt.
Hæc tua, nam tua sunt propria, certa manent.

66. Patriæ amor fortior peregrini regni possessione, ex Persico.

Nescieram, quam fortis amor patriæ foret oræ.
Ergo: vale, dixi, mater! abique volens.
Per mare transibam: mirum maris unda placebat;
per terras: terræ quin placuere magis.
Nec mihi divitiæ deerant, nec honora potestas;
nam suberant solio jam quoque sceptra meo.
Cum memor hos patriæ tot amor citus unus amores
dispulit: hinc patriæ redditus opto nihil.

67. Amico se reconciliat.

Primus es et veteri nihil immutatus ab illo,
tu modo me primum siveris esse tuum.
Deprecor, erravi. Sed apud fuit error amicum.
Si modo vis, culpa mox caret ille sua.

*

65. 3 fugente Dr. 66. 2 abiique Dr.

Novimus inter nos, hinc non mihi dura loqueris.
Inde mihi veniam, quam fore spero, feram.
Quam cito læduntur, cito tam placantur amici.
Osor amor sed hic est, qui, quod amatur, amat.

68. Somniat se patriæ rediisse.

Rideo, quo lacrymer? quid, crudelissime Morpheu,
sævius ut crucies, re sine teste faves?
Qualis erat facies patriæ nitidissima vivæ,
cum neque Eris notum, Mars neque nomen erat,
nec mihi mens erat hæc, ut sic peregrinus abirem,
ante meum talis visa stetisse torum est.
O vafer, o fallax, o mendacissime Morpheu,
improbus hoc magis es, quo magis æquus eras.

69. Tumulus Ursulæ Coleræ novercæ.

Man. VII, 32.

70. Ad parentem super obitu ejusdem beatæ.

1637/38.

Suppositus stellis nunquam subeuntibus æquor,
mitto gemens flenti filius ista patri,
quam procul a patriis dilectæ Misnidos oris
inter inhumanos audio dura Scythas.
Conjugis interitum velato corpore flesti.
Flemus in hoc obitum nomine matris item.
Ergo tibi nostros transcribimus ordine fletus,
chare pater, gemitus ut moderere tuos.

71. Ad Martinum Christenium, excessum matris scribentem.

1637/38.

Risimus in fletu, tua cum mihi litera venit,
flevimus in risu, cum mihi lecta fuit.
Vivis amicorum, Christeni, prime meorum:
occubuit tristi funere nostra parens.

Ah hilaræ tristesque vices, quibus erigor una
et premor, o fati mobilis ordo mei!
Quid, rogo, responsi super hoc tibi dramate scribam:
nulla volo nolens scribere, nolo volens.

72. Dilecto suo.

1638. Juli.

Sic te digna facis, sic te laudaverit omnis,
qui, quod ais, facto perficis omne pari.
Improba composita suffers convitia mente
et placida pungens imbibis aure nefas.
Dedecus hoc decus est, quod ab isto funditur ore,
ore Theonino lividiore labro.
Mordeat; edura. Rodat; fer: inaniter instat.
Baubantes negligit celsa Diana canes.

73. Olearium consolatur.

1638.

Sis tuus et validam cordati pectoris arcem
objice fatali, nil trepidando, malo.
Cum furit Oceanus, nihil asper abinde Caphareus,
nil timet ornus ovans, cum fremit ira Noti.
Nil tibi fœmineum conclusa virilia frangat,
stans cade, nec sorti da male terga tuæ.
Fer mala vir, molli neque bis miser esto dolore,
ne cito venturis præmoriare bonis.

74. Roderico A Castro medico.

Quis novus est adeo per castra medentia miles,
ignoret castrum qui, Roderice, tuum?
Surgis et eximios educis ad arma volones,
arma Machaonia concipienda manu.
Militat hic tecum, quisquis cupit esse celebris,
ille nec in cassas, te duce, pugnat opes.

*

73. 2 trepitando Dr.

Castra move, Roderice, move, victoria nostra est.
Stat, cadit arbitrio vitaque morsque tuo.

75. Buchanani tumulus.

1639/40.

Sub Parnassiacæ felici tegmine myrti,
qua pia perpetuum laurus opacat humum,
qui cubat, est vates tali dignissimus umbra,
ille Caledonii dux Buchananus agri.
Hic Veneri Phoeboque sacer, sua fata sequutus,
debuit haut alia fronde jacendo tegi.
Myrtea laurus, ova, freme, laurea myrtus, ovando!
Pro tumulo quis non hic videt esse torum?

76. Tumulus Mauritii, Aurosionensium protoprincipis.

1639/40.

Mauritius tegor hic, tremuit cui Vesper et Ortus,
cujus et ad tumulum pronus adorat Iber.
Obruor exiguæ fugitivo pulvere terræ,
fama per ingentes sed volat alta polos.
Te tamen haud tumulum, sed ovans vidisse trophæum,
et nihil hic mortis, qui legis ista, puta.
Esse meis didicit meritis angustior orbis:
Quei capiat tumulum terra Batava meum?

77. De Sacerdote.

Stabat et Ausonio latus undique et undique septus
milite, magnanima mente Renatus erat.
Et jam nulla fugæ misero via tuta patebat,
latroni fusæ nec valuere preces.
Qua spectaret, erat certissima mortis imago.
ille necem gladio strinxerat, ille globo,
ille sed immoriens: Toto concludar ab orbe,
nil moror, excessum monstrat olympus, ait.

*

75. 2 perpetuam Dr.

78. Tumuli Dousarum inscriptio.

Dousa pater Dousæque patris cognominis hæres
intus agunt, domus hæc sustinet una duos.
Ambo pares Clarium Pindo deducere carmen,
ut quoque sint tumulo, par erat, ambo pares.
Magne pater solisque minor patre filius annis,
digna sub æternis biga jacere rosis,
ludite felices inter Parnassia Tempe,
dum locus hic vestro sanctus honore silet.

79. Dominici Baudii exspiratio.

Mulserat eloquio micantem Baudius axem
jamque erat omnigeni: Vivat! in ore Dei.
Nec Lachesis Clotoque negant; modo defuit una
Atropos, in properam fœmina sæva necem.
Ergo stat a foribus procul omnipotentis olympi,
dumque librat, vatis rumpit iniqua colum.
Caussa quod abfuerit cœlo tunc Atropos, hæc est,
ne fieret lingua mitis et ipsa viri.

80. Oweni exspiratio.

Attica cui salibus, cui cedat acumine Roma
et cadat evictis Bilbilis ipsa jocis,
melle placens, nec felle nocens, gravis, acer, apertus,
grandeque prolixa sub brevitate potens,
dum patrium decorat Tamesin, pius interit hæres
et sua miranti scripta relinquit humo.
Magne poeta, vale regnaque lubentibus umbris,
te sine quæ lætas non habuere vices.

In hunc librum pertinent quoque sequentia epigrammata, quæ in amicorum manibus versantur, dubium an periere.

1. Romani Smidi Poematica.
2. Corbiano Brodkorbio Icto.
3. Olearii margaritarum piscatio.

4. Palatium ex santalo et acere in hortis regiis Arsaciæ.

5. Corpus Chymicum perfectissimi operis, donum Illustrissimi ad Regem.

6. Acinaces Damasceni, succineis vaginis inclusi, ejusdem ad eundem.

7. Candelabrum horologio ornatum ibidem.

8. Cantharus cristallinus auro gemmisque conspicuus, ibidem.

9. Arculæ et horologia e succino, laboriosissime perfecta, in eadem donatione.

10. Tres cataphracti, post munera regi obequitantes.

11. Ruinæ Babylonis juxta Bagadad Arabiæ.

12. Ludis equestribus, in quibus nobilissimus Mandelslovius victor poculo aureo potiebatur Isfahani.

13. Effigies Illustrissimi cristallo inclusa adamantinoque monili appensa, donum Legati ad Regem Persarum.

14. Tentoria Persarum in venatione Regis.

15. Calendulæ et hiacynthi Novembres in Persia.

16. Tormenta bellica juxta Portam regiæ Isfahanensis.

17. Alla Capi, Asylum totius mundi in Perside.

18. Apud suos esse efflagitat.

19. Cererem Russiæ præsidem salutat, ex Perside redux.

20. Anemonæ Adamas.

*

10. obequitautes, ex ejusdem dono Dr.

EPIGRAMMATUM

LIBER VI,

SIVE

FLORES.

Devoto In Domino Et Insigniter Spectabili Viro Patri M. Ludovico Duntio, Doctori Animarum Singularis Zeli Theologo, Amicitiæ Caussa Hunc Florum Libellum Sacrum Volo Paulus Flemingus.

FLORES.

1. Jacobi VI. Britannicarum Insularum Monarchæ laudibus.

Divide, Doris, aquas et amabilis Orcade multa
circiter Albionem lude natando tuam.
Cantaber oceanus Batavique malacia ponti
affavet et pigri Thetys aquosa poli.
It dea, quæ triplici diademate fulget, et undis
vos veluti, festis sic benedicit agris.
Annua sit vestro lux hæc, hæc pompa Jacobo,
cui decuplent istos numina blanda dies.

2. In Bestiam Arundinalem Mart. Rincardi, Theol. et Poet.

1630. Juni.

Nempe quod Ammonia trux est crocodilus in alga,
hoc in arundineo bestia nostra vado.
Repit et, et tecto speculatus lumine prædam
eminus invadit, lancinat atque vorat.
Hoc ferior fera nostra tamen: gemit ille vorando,
hæc perimendo sacrum clara cachinnat opus.
Nec mora: rupturis Ichneumon sævit in extis.
An perit ab simili bestia nostra nece?

3. Ad N. Innocentium ab Einsidel, Equitem Misnicum.

Si fas est, homini post Ihovam fidere posse,
fidere non alii, quam tibi, pure, velim.
Vita quod est homini, libertas aurea vitæ est.
Hac sine non vivit, nec sine vivit ea.

*

1. Jacobi IV. Dr. 2. 1 Æmonia Dr.

Credito, servilis nece vita molestior omni est.
Nam domino famulus, non sibi vivit homo.
Iova mihi curtam poterat protendere vitam:
tu libertatem restituisse potes.

4. Wendelino Dahindenio, super symbolo:

Deus adjutor meus.

Man. III, 17.

5. Albo Christiani Brehmii Lips.

Man. I, 24.

6. In Nominalem Ernesti Dehnii.

Man. I, 25.

7. In gratiam Joachimi Burgeri de actionum cessione disputantis.

Cedit. At excessu perstat Ioachimus in ipso,
hocque magis, quicquid disputat, esse putat.
Scilicet hoc varia munitam Pallade mentem,
pectoris immotas arguit illud opes.
Hoc virtute potens, gravis arte putatur ab illo.
Possidet et juvenis, quo caruere senes.
Hæsitat ars rudior, constantia fluxa vacillat,
si juvenis repetit, quod fuit ante suum!

8. Besoldi laudativum.

Qui totidem populos bis senis ducere linguis
diceris et Baldi posthumus esse tui,
te tuus in primum celebrem Lanus, inclyte, Rhenum,
Rhenus in oceani vociferatur aquas.
Inde quater geminum tua laus circumnatat orbem,
cujus apex duplices tangit in axe polos.
Catte, triumphantis victrix Germanidis instar,
tot subigis populos ore, quot illa manu.

9. Priapeja Scioppii.

Spurce, nec ad puras hominum tractabilis aures,
quid casta mentium, nefas libri, turbas,
mentula Sileni, Satyri tentigo petulci
Panisque penis Marsiæque pruritus?
Te spurca Alecto, te fœdæ cunnus Aellus
turpisque molli Phryx puer terat cluni.
I, scelus, i, tanto soboles dignissima patre,
i, conde flammas, queis flagretis æterni.

10. Ananiæ Wewero carmina Flemingi S. P. dicunt.

Quod, vir honore, tuas veniendo subivimus ædes,
non adeo votis res erit ægra tuis.
Venimus ad domini mandantis euntia jussum,
forsitan ipse tibi non bene notus erit.
Hinc fit, ut absentis præsens tibi carmine schema
sistens, nos Philyra miserit ille sua.
Cerne virum, quod et orat, ama. Nihil amplius optat.
Literulis potes hoc omne notare [1] tribus.

[1] Sit.

11. Album amicorum alicui transmisit.

Blande liber, dilecte liber, liber auree, vade,
quo volo, quo voti stat sua meta mei.
I, fuge, curre, vola charas citus ales ad ædes,
scande domum, dominum vivere vove domus
et facili mea verba refer: Dulcissime rerum,
scribe manu, crebro quod geris ore decus.
Sic faciet, sic, chare, redi. Sed ut æquior in te
sim, modo, dum veniam te referamque, mane.

12. Constantino Waltero Cygneo.

Nomen Olorinæ ter amabile jugiter urbis,
cygnus es ingenio, cygnus es arte tua.

*

11. 6 manus Dr.

Lacteus in niveo regnat tibi pectore candor
parque canis Sthenelæ, cum modularis, avi.
Sic olor ingenio, cygnus arte, probandus utrimque,
sis in amicitia cygnus olorque tua.
Hocque diu sis, hocque cito. Modo lentus in uno:
Cygnus ad exequias concine sero tuas.

13. Ad Amicum læsum. Die Adolarii.

Scribimus offenso suspecta luce sodali,
suspectos faciet nos simul illa, reor.
Luxit, Adolari, lux hæc tibi, sive, quod est res,
rectius a posito diceris ipse dolo.
Prima suis ratio, mihi militat altera juste,
illa minus, tanto convenit ista viro.
Convenit ista bonis. O si quid inesse putares
ominis, offensa tristis amice mea!

14. Joanni Baptistæ Sittingero, Austriaco.

Desine continuos scribendo tacere per annos,
incipe me digito nunc animare tuo.
Charius ut calamo nihil est et amœnius isto,
tristius est mihi sic nil, nisi quando taces.
Si tibi materiam sterilem facit undique caussa,
noster amor fuerat caussa sat ampla tibi.
Aut tua si tibi res vetet esse, quod audio, longo,
[1] hæc tria fac tota stent elementa scheda.

[1] Amo.

15. Matthiæ Englardo medico.

Creber es auditus, sed non mihi visus es unquam,
magne vir a fama, nec minor arte tua.
Incolis Ascaniam, sed rectius incolis orbem.
Te capit hæc, istum tu capiendo tenes.
Hospes es astrorum, Iunonis et hospes es imæ,
te vocat hospitium sic sed uterque suum.
Non habitas, vir magne, velut male diceris, orbem;
in te verum habitat rectius ille, puto.

16. Audendum est. Symbolum Henrici Bunavii, etc. Salitii, d. 2. Aug. MDCXXXIII.

Quid moror? audebo. Neque enim Fortuna recedet.
Diligit audentes lubrica diva viros.
Et tamen audebo, licet horreat Auster et Eurus.
Audaces virtus promovet alta manus.
Audeo. Sors faveat, faveat sors fortis eunti.
Nullius potitur, qui nihil ausus erat.
Me mea nobilitas animat, feror, audeo, conor.
Sit; nihilo potiar, sed tamen ausus eram.

17. Ad hospitium Novogorodiæ.

1634. März.

Parva, sed ad magnos mihi jam domus utilis usus,
lignea, sed domino non minus æqua suo.
Es felix, es chara mihi, dum fata moramur
et nimis a domino cogimus esse choro.
Barbara composito transit tibi Volgova cursu,
aura tibi verno mista tepore tremit.
Hic hilaro licet esse mihi, licet esse quieto,
hic meus est Helicon, hic mea Cyrrha salit.

18. Petro Crusbiornio, Viro generoso et illustri, S. R. Maj. Suecicæ ac in imperiali Moscua Residenti Legato, Filioli obitum lugenti, Odæ germanicæ dedicatio.

Scribimus exequias dilectæ jugiter umbræ.
Fle, pater, et gemitu concutiente voca.
Ille quidem dudum mortales exuit artus,
sed novat assidue se pariendo dolor.
In facie legimus lacrymas, quibus humidus undas.
Stagnat in effletis nostra papyrus aquis.
Indue nobiscum lugubres, obsecro, vultus,
qui legis, et cineri blanda precare sacro.

*

16. 5 sors sortis Dr.

19. Super adventu Parentis sui longe desideratissimi Joannis Molleri Joannis F. Bona Verba.

Quando venis, dilecte parens, venit aurea tecum
sors et in hoc varius pectore regnat amor.
Hactenus agrestes, satis est, quod amaveris herbas,
sed quid in urbe sua blandius Harris habet.
Jam tibi dum grator, mihi gaudeo faustus et isthoc
sim facili gratus filius, opto, patri.
Dulcis ades veniens, sed dulcior hæseris urbe.
Utque queas posthac raro venire, mane.

20. Horologium quinquennalis laboris rarique artificii, quod pro Persarum Rege dederat Illustrissimus, naufragio ad Hohlandiam amissum.

1635/36.

Nereus audierat, Cimbræ quid inesse carinæ,
quo careat toto Jupiter ipse polo.
Ergo laborantem cernens in fluctibus alnum,
carbasa cui dederant Holsates, innat aquis.
Innat aquis certusque rei movet acrius undas
alliditque petris fragile navis opus.
Nunc dolet Hippotades, tandum sævisse furorem,
dum periit nocuis fluctibus artis opus.

21. Arthuro Thee, Anglo, medico.

Thee, Theophrasti vivum morientis acumen,
quod tua sub primam flavit in ora necem.
Par celebri, servante, patri, nos, filius arte,
nomen Apollineo grande sub orbe geris.
Fecit id, ut quamvis mea non sit notio tecum,
mittere lene tibi sim tamen ausus epos.
Sors mihi communis tecum, par gratia Phœbi est:
unius est lyra dos et medicina dei.

*

19. 7 hæserit Dr.

22. In Volgæ ostio, ad lacum Caspium.

Plaudit et austrinis volat obvia Persia velis,
et favet affusa Caspia Thetys aqua.
Hinc pater Hyrcana stabat vocalis ab ulva,
hinc quid arundineum sibilat uda sirynx.
It ratis a Borea feliciter acta secundo,
ante per haut cursas læta natare vias.
Vicimus, o socii, spes tot micat aurea signis.
Nobiscum facit hoc fautor olympus iter.
M. Octobr. MDCXXXVI.

23. Insignia Hartmanni Gramanni.

Ille planetarum medius cor et axis ocellus,
illa caduciferi martia læva dei,
queis melius toto nihil est et amantius orbe,
quam subeunt ceras digniter ambo tuas!
Gramane, sol merus es medicis et Atlantius astris,
mortis et invidiæ spicula nulla times.
Phœbo dum comes is, alas tibi subdidit Hermes.
O bene cui socio sic licet ire tibi!

24. Thermæ Persarum.

1637.

Numina, virgineum vincentia corpore marmor,
queis æquale nitens nil alabaster habet,
ludite diversis, colludite Najades undis
et calidam gelida, frigida, sparge manu.
Sparge, calens, gelidam, mistisque in prælia lymfis
ludite, confusum ludite roris opus,
dum lavo, dum nato, dum bibulis pluor imbribus omnis
et vehor in vestros fusilis unda sinus.

25. Magno Schuwarto, Electoris dextræ.

1637.

Quæ de visenda mera somnia Perside quondam
scribere te memini, jam vigilando probo

Vera quidem video, neque jam modo somnio Persas;
sed quoque quid somni nescio, sterto vigil.
Non ea sunt, quæ tanta quidem speravimus esse.
Sic sequitur visum nausea prona decus.
Quicquid in humanis vel amor vel opinio suadet,
somnia sunt, nihilo grandia sola suo.

26. Pyramides, quæ conspiciuntur Sultaniæ Persarum.

1637. Juni.

Nubiferæ moles, nimbos adversus et auras,
quæ sic perpetuum statis, ut estis, opus.
Si quid in æterna divinum laude putatis
jugeque gestitis nomen habere solo,
ite sub imbellem depictæ, quæso, papyrum,
qua manus ad vivum vos ea pingit opus.
Stabitis æternæ specie fortassis in ista,
perpetuæ sed in hac stabitis usque scheda.

Icones earum apud L. B. itineris comitem.

27. Rudera Persepolis juxta Schiras, versus aquilonem.

1637.

Nympha, per æternos immota putabilis annos,
et simul ingentis terror et orbis amor,
nunc pudor et tantæ molis non grande cadaver,
ipsa tui tumulus, ipsa putredo tui,
hei! regina soli, cœlo metuenda vel ipsi,
tantane, quo fieres ultima talis, eras?
Firma stat et tantas facit infima terra ruinas;
inde tibi, cœlum mobile, jure times.

28. Sepulchrum Lazari haud procul a Bendar Gamron, in Kirman Persiæ.

Credula posteritas mendaci primitus ævo
fallit et errores ampliat ipsa suos.

*

26. 2 stratis Dr. 4 i fugeque Dr. 7 fortallis Dr. 27. 1 putabilis? 6 tanta ne quo Dr. 28. in firma P. Dr.

Ossa Palestina sua clausit Lazarus urna:
ille bis in vita, bis fuit ille nece.
Credere sit mihi fas, nunquam quod credere tentem.
Nil facit ad certam res dubiosa fidem.
Vita duplex tibi cum fuerit, mors, Lazare, duplex,
te duplicem tumulum posse merere, reor.

29. De quodam Leone.

Magnanimum solita Dodo ceperat arte leonem,
venatrice diu nobilis arte Dodo.
Bestia prompta sequi jussas concedit ad ædes;
blandus in egregiam sic fuit ille feram.
Mox Dodo, factus egens, alio cum migrat alumno,
exque fame miseri bellua ludit heri.
Quid regale, Dodo, turbas ad frivola robur?
Vivit in heroo mors tua dente; time!

30. Mendacia.

Fraus tua, non tua res tibi me tam fecit amicum,
ut quoque jurares te bene velle mihi.
Nomen amicitiæ, thesauri, census, honores,
sique quid his pleno grandius ore dabas,
omnia sunt vacuas, quod erant quoque, sparsa per auras,
fluxior et dubio vox fuit amne tibi.
Credite, sed tardi, quotquot gaudere voletis,
nil magis est mendax, quam peregrina fides.

31. Reditus ad lacum Caspium 1. Febr. MDCXXXIIX.

Caspiaci latices, et tu, salsissime Nereu,
vel quoque nunc animis nomina sæva meis,
quos modo tranquillo crispatis in æquore crines,
quas vitreas placido tingitis amne comas,
nuper erant gelidæ funes mihi mortis et orci,
cujus in hoc vel adhuc cernitis ore notas.
Crebra veni, sed crebra redi de littore, Nais,
tutius amplexus hinc colo, nympha, tuos.

32. Pro tempore.

1638. April.

Mars mihi numen erit. Musæ valeatis inermes.
Militat ingenio nil muliebre meo.
Qua prius imbelles tractabam lene libellos,
ignea fulminea grandino plumba manu.
Sumo sagum, depono togam: preme, laurus, olivam!
Ast! juvet in Clarias lenior esse deas.
Sol arcu et pharetra, clypeo fera Pallas et hasta est.
Quadrat utrimque animis nomen utrumque meis.

33. Fertilitas terræ Usminensis Comuicorum.

1638. April 14.

Hinc diversa Ceres variis assurgit in arvis,
quam rigat affusa plurima Nais aqua.
Inter Hamadryadum choreas et Oreades inter
mulcet oberrantes Panis arundo greges.
Hei mihi! sub læta truculenti Lumina larva
tristia terribili corpora more necant?
Corpora tota chalybs et nil, nisi ferrea mentes!
Quomodo conveniunt gens fera, mitis humus?

34. Sarcasmi.

1638. April.

Gratulor, interitum digno mihi gratulor istam.
Jure perit, quisquis sponte suapte perit.
Scilicet egregio vici mala tanta triumpho
ingentumque redux audio victor opum.
Cinge comas hederis et ovans pete compita plausu,
digne tholis, merita digne poeta cedro.
Pro medico mendax mendicus et arduus annis,
nilque minus, vates optime, vate redis.

35. Solitudo.

1638. Mai.

Quod si fata piam niveo cum patre sororem
abstulerint, matrem ceu rapuere senem,

dii, prohibete nefas! qualis quantusve revertar?
Sola sumus laceræ nos tria fulcra domi.
Tempus amicitias, rapuit mihi tempus honores,
tempus hebes tantæ quod male damno viæ.
Quin quoque jam redeo fido viduatus Achate,
jam miser, hei potero quam magis esse miser!

Infra Tarcoviam.

36. Inquies.

1638.

Væ mihi! quei cœlo, patriæ, genitoribus, arti
frivola sexennis facta probabo fugæ?
Sidera sacrilegum, profugum sola patria clamant;
degener a patribus, perfidus arte notor.
Nil nego. Quid simulem, cum vultus hic omne loquatur,
nec scelus hoc titulum convenienter habet?
Quod si damnatum penes est electio mortis,
parcite; supplicio non graviore luam.

Inter moras itineris Persici.

37. Execratio.

1638. Mai.

Ad desiderium mortis me vita fatigat.
In vita gravius quam mihi vita nihil.
Sordibus hic olidus, putido squalore renidens,
turpia sub macro vix rego membra situ.
His exsucca fames in vultibus elanguescit
et jecur a pota debile stagnat aqua.
Hoc quoque mens vitium trahit indiga facta vigoris.
Vivit in hac vita nil, nisi vita, minus.

Tarcoviæ, inter miserias campestres,
M. Majo MDCXXXIIX.

38. Ægritudines.

1638. Mai.

Nunc quid agat pater atque soror, patre charior ipso,
fata mihi matrem proh! rapuere diu.

Nunc bona, quæ pereunt, mala nunc, quibus intus et extus
undique carnificis sævius axe rotor,
tot diversa simul lacerant examina mentem,
estur et occulto totus ab igne vigor.
Hei mihi! quod vivo tot mortibus usque superstes!
Hei mihi! quod morior, sic mea cuncta jacent.

Eodem loco et tempore.

39. Comparatio.

1638.

Naso suæ scripsit bene convenientia sorti,
Naso Tomitani cum foret exul agri.
Ipse, meo faciens non adversaria fato,
scribo Tagostanæ flebilis hospes humi.
Tristia de Ponto, Scythico de marmore Dura,
nosque Scythas inter scribimus, ille Getas.
Sorte mihi Naso tam par, quam dispar es arte!
Dic, tibi sim similis dissimilisne magis?

Etiam ibidem et tunc.

40. Epitaphium Sibi vivo.

Ille ego per medicam factus venerabilis artem,
ille ego per melicum factus honorus ebur,
hic medicus melicusque cubo. Quid utrimque juvabar?
Nil medicum, melicum nil mihi fata stitit.
Sed quid ab arte juver? nihil ars, nihil ipse putandus.
Omne, quod est, nihil est, orbis, olympus, homo,
vita nihil, mors nil. Quid obire verebor, amici?
Nil nihilo nihilum posse nocere, scio.

EPIGRAMMATUM

LIBER VII,

SIVE

CORONA.

Devotissimo Et Pio Dno Christophoro Michaelis, Vigilantissimo Christi Ovium Pastori, Theologiæ Orthodoxæ Candido Exemplari, Honoris Ergo Inscribitur Hic Liber.

CORONA.

1. Ludovico XIII, Christianissimo Galliarum et Navarræ Monarchæ.

1631.

Dive, per oppositum regnas qui, maxime, pontum,
qui paris hinc fluviis, Alpibus inde metum,
eloquar, ut res est, sine, rex: cunabula debes
Borboniis famam Borboniique tibi.
Tot docuere minæ, docuere tot ausa, triumphi.
Mundus ovat factis plenus uterque tuis.
Lude diu, Ludovice, vices. Tibi debita palma est,
pro patriaque domo, pro patrioque solo.

2. Philippo Mullero, Lipsensium Euclidi.

1631.

Det Deus exactæ post prospera tempora vitæ,
optantis fias stella serena poli.
Hoc tibi jure tuo debere fatetur olympus,
qui geris in cerebro sidera cuncta tuo.
Sed magis, ætheream quod in hoc agis ordine vitam,
quam tibi siderei proposuere libri,
fiat hoc, at serum. Te pulpita nostra fruantur,
angelus angelico donec in ære tonet.

3. Super symbolo Zachariæ Sommeri Sil. Patiendo vinco.

Man. I, 10.

4. In Albo, cujus Symbolum erat: Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ.

Man. I, 15.

5. Fero ut feram.

Man. III, 11.

6. Aliter.

Man. III, 12.

7. Iterum aliter.

Man. III, 13.

8. Tumulus Bretschneideri.

Man. VII, 19.

9. Dedicatio Odæ Germanicæ Henrico Sagittario scriptæ.

1632.

Hoc tibi gratatum revalentem carmine matrem
venimus et victa mollia tela necis;
tum, per ut expressam tenui modulamine mentem
omne tibi cultus subjiceremus opus.
Sol velit, aut magnus, Pindum qui servat, Apollo,
quod volo, quod mecum tu quoque velle soles,
hospes ut ad vestrum vivam mox junctior Albim.
Tunc tibi gratabor plenius atque mihi.

10. Atlas Mercatoris.

Cernuus in lapsum, nec onus par tale ferendo
amplius, ad mundi mœnia stabat Atlas.
Stabat hians, quantumque seni fessoque licebat,
ferte, dii, misero ferte, vocabat, opem.
Extimuere dii, se jam cecidisse putantes.
Non erat in toto vis valitura polo.
Audit et imbelles Mercator sustulit ulnas.
Quam fuit hic vere tum vir Atlantis Atlas!

11. Georgio Mochingero Med. abeunti.

Prime Pruthenorum, de quo spatiata per orbem
fama tui similem non reperisse refert,

qui per Apollineam factus celeberrimus artem,
palmam, sive doces, sive mederis, habes,
i, quia te revocat patriæ dilectio terræ,
i, quamvis, quod abis, Lipsia triste gemat.
Quæ tibi chara tuam tellus dedit antea vitam,
par huic est, vitam quo tueare suam.

12. Fracastorii tumulus.

Sterte tua sub scrobe, mihi venerabilis umbra,
tutaque tranquillæ fata quietis habe.
Ante fores, liceat, vigilem, sed mutus, et ore
suspendam, tibi quod mente loquace gemo.
Scaliger hic aderit, longus cui faverit ordo,
ordo poetantum sed sine voce virum.
His ego pace tua miscebor oloribus anser,
utque tegar latitans, ore premam strepitum.

13. Joachimi Camerarii P. honori.

Scanderat in superos Camerarius arduus ævo,
illud Elystreæ sidus et Alpha scholæ.
In pluvias ierunt Plisseides ilicet auras
et stetit in madidis noxque diesque stolis.
Mox polus enituit, tanti quum nominis hæres
integer, a luctu vix bene siccus ovat.
Vivis in egregio, pater expressissime, nato.
Nil tibi, nil mundo mors tua demit; obi.

14. Hadriani Turnebi apotheosis.

Turnebus, Ausoniæ pariter Grajæque loquelæ
regula, quo Latius sermo Cecropsque placet,
quo simul Oenotrii, simul enituere Pelasgi,
quotquot in Arctoum scripta dedere solum,
Turnebus ille gravis, facundus Turnebus ille —
plangite Pierides, Cynthie, plange! — cadit.
Sidera terrenum coluere quod hactenus astrum,
nunc vere factum sidus adorat humus.

15. Balthasaris Meisneri excessus.

Sidera quæ certas vibrant super æthere flammas,
hæc aliquando graves credo fuisse viros.
Illa velut toto radiant illustria cœlo,
hi jubar in latam dijaculantur humum.
Et quia sub varia nihil est non labile luna,
quando cadunt, stabili scribit in axe Deus.
Cum fuerit toto celèbris Meisnerus in orbe,
quis neget, in stellis jam meruisse locum?

16. Friderici Balduini B. manibus.

Sidera quod cœlo, quod sunt pia germina terræ,
hoc sunt egregii pol! super orbe viri.
Illa velut flammant, velut illa coloribus ardent,
hi per humum late nominis igne micant.
Germina dum pereunt, durant in jugia stellæ.
Hi mortale nihil, quam breve corpus habent.
Flos, Friderice, soli, salve, nunc factus in æthra
sidus; ut hujus eras, sic eris hujus honor.

17. Crucior in hac flamma.

Sunt flammæ, non sunt homines, quibus arsilis uror
inque favilliferos concremor usque rogos.
Verba caminali succendunt ignea lingua,
queis æquale nihil Hecla vel Ætna flagrat.
Hæc animam jaculantur in hanc. Furit ardor in ossa
et micat in tosto sanguine vita crepans.
Sic flagro, sic crucior, fomes ipse perennis, ut illi
ignis alens tantas tempus in omne pyras.

18. Epitaphium Joannis Lœseri Junioris.

Man. VII, 27.

19. Timotheus Schwirseus: Sum tuus, o Jhesu Christe.

1633. Oct.

Dic, metagramma teres cœloque rotundius ipso,
unde tibi tanti nominis omen habes?

A pietate viri, quo non sincerior alter
aut colit, aut coluit, aut colet astra, reor.
Salve, vir, ex ipso vel nomine dicte beatus,
certior est nulli, quam tibi, certa salus.
Sed quid, olympe, dabis? dedit huic sua terra salutem.
Nil superest. Cœlum terreus ille capit.

20. Isabellæ Claræ Eugeniæ, Hispaniarum Infanti, Reginæ, Matri.

1633.

Hesperiæ dea magna plagæ, dea grandis Eoæ,
quam colit in nimiis Indus uterque locis
et, foret adversi Boreas ne nescius Austri,
laudis utrique cluit nuncia fama polo.
Dux pelagi, regina soli, tot honora deorum
mater et omne diis par, nisi viva fores.
Vive tamen, dea, vive diu, nec in astra recede,
ipsi sibi societ donec olympus humum.

21. Laurentio Ludenio Icto, Poetæ, Rhetori, Doctori Publ. V. CL. Tarpati.

1633. December.

Ludere Ludenium totas super Aone noctes,
vidit eum totos ludere Musa dies.
Ergo per ingentem mater volat artis olympum,
nuda sinus, palmas libera, festa comas.
Quaque volat, facunda vocat: Dii, plaudite mecum,
quam valet in nisu lusor hic atque sinu!
Ludeniumque notat. Regerit mox omnis olympus:
Lude diu nisu, vir pie, lude sinu.

22. Mitra Ruthenica, donum Leg. Crusii.

Cingere barbarico, coma, cingere, cingere cultu.
Barbara barbarico non eris ipsa peplo.

*

20. 4 utrique. Vermuthlich: utroque, oder ist für cluit zu schreiben: tulit?

Pone, quod indigenæ te circumiere tiaræ:
pompa peregrinæ jam facit ista tibi.
Hic Scytha mus, hic Turca procul nitet undique murex.
Tam coit in nostras dissitus orbis opes.
Cingere, donantis simul advenerando favorem,
qui tibi per donum se dedit ipse tuum.

23. Georgio Pio Pœhmero, nobilitatis Noricæ flori.

1635. December.

Fratris ab igne tui focus est, quo flammeus in te
ardeo, per flammas arsilis ipse meas,
o Pie, qui tantum mecum capis ire viarum,
quantum vix alius nos prior ivit iter.
Laudo, quod in me vix creber non criminor, in te.
Sed sileo. Nostræ nil facit inde rei.
Fratris ab igne tui focus est accensus; hic ardet:
et quei non? tali follis es ipse rogo.

24. Bernardo A Sprecelsen Livono.

Sume manus, ceu mentis habes immobile pignus,
o mihi de primo multus amate die.
Est deus in nobis, qui nos movet. Illius actu
in tacitis animæ motibus intus eunt.
Te Themis et magni totus consessus Olympi
omnibus efficiunt, quem cupienter ament.
Quam tibi sunt Charites, tam sit Venus æqua, nec umquam
excidat ingenio nostra Moneta tuo.

25. Nisovæ Medorum, ubi navis Cimbrica gravi tempestate allisa, salvis excepta se omnibus appulerat, MDCXXXVI. XV IXbris.

Depressæ valles, quas hinc Hyrcanius humor
verberat, hinc celsis claudis, Olympe, jugis,
pallor in his faciebus, in his macer artubus horror
vos moveat, mutus dum tenet ora timor.

*

23. 4 Lics: Quantum alius nobis vix prior. 8 rogi Dr.

Tendimus, in vestras madidi contendimus ulnas.
Tollite, quos glauci projicit unda dei.
Nos odium fatale tuum premit, invide Nereu:
sed quoque fatali Chloris amore levat.

26. Novellæ e patria, Scamachiæ in Media M. Mart. MDCXXXVII.

Thura prius placitura diis adolete, sodales.
Hic juvet Hyrcanos evacuemus utres.
Pax volat auratis per Ositia jugera pennis
victricesque vibrat Cæsar ovalis aves.
Sparge, puer, violis et olente sedilia myrto
et fluat effuso florea mappa mero.
Tu modo tam læti revolans dea nuncia fati,
dic patriæ mediis nos coovare Medis.

27. Mausolea Regum Persarum, quæ visuntur Ardofilæ in planitie Mediæ Intrataurinæ.

1637.

Caria quod stupeat, miretur Nilus et omnis
Roma theatrali dives honore colat,
culmen hoc intus habent ingentia nomina, reges,
et Sefus, et Tamas, et Ismael, orbis amor.
Hospes, adoratis sub marmore manibus, exi,
tam firmæque stupe parcius artis opus.
Quæ tantos reges, quæ te rapit hora, fatetur
insimul, hæc atomos mox fore saxa meros.

28. III. Augusti MDCXXXVII. quæ introducebat nos Isfahanam Persarum metropolim.

Salve, cara dies, quatuor mihi pulcrior annis,
te propter vitæ quos male demo meæ.
Sera venis, sed grata tamen, sed dulcis aventi,
tergis et ex oculis tædia mille meis.

*

26. 2 Hinc Dr. 8 Lies: in mediis. 27. 1 Cæria Dr. 4 Safus Dr.

Tot per amara viæ, vitæ per acerba tot ægræ,
sistimur ad magni regia tecta Sefi.
Cum violis caream, quas in tua gaudia spargam,
sufficiat voto te celebrasse pio.

29. Patriam revidere posse desperat.

1638. Anfang.

Ergo modo querimur nihil adjutricibus auris
totque preces surdis auribus usque damus.
Tot toties venere dies, abiere vicissim,
morbida nec minimam mens mea sentit opem.
Exedor ærumna, curis valor omnis hebescit
spemque sibi toties imposuisse timet.
Mulda pater Dryasdesque meæ et Oreades almæ,
jam mihi supremum nempe valete! Necor.

30. Terrores.

Me Scytha, me Geta, me trux accola Phasidis ambit,
jurat in exitium Colchus Iberque meum.
Ille ferox jaculis, hic acinace tristis et hasta,
nil nisi letiferum quisque minatur opus.
Adde, quod hinc Scythici rabies furiosa profundi,
Caucasus hinc nimio fulmine sævus obest.
Publica privatas vicere pericula clades.
Quid tua fles? Mala per, mens, aliena peris.

Tarcoviæ inter moras afflictissimas
M. Aprili MDCXXXIIX.

31. Dubitatio.

1638. April.

Cœlum, homines, terras, mores, jus corporis, annos,
omnia, dum peregre sic ago, muto domi.
Otia pro studiis, pro lucris damna, quiete
turbida, pro risu flebile sector onus.

*

29. 4 ne Dr. 30. 9 Tarroviæ.

Seu redeam, seu non, vegetum vidistis, amici.
In me nil veteris vivit ovatque mei.
Certum nil magis est, quam mors, accita coactis.
Nil magis est dubium, quam violenta salus.

Ibidem.

32. Amico barbarici itineris comiti.

1637/38.

Nunc hexametro pentametrum subligo,
carmen his quadrans querelis,
tibique pango, musicum mecum caput
particepsque sortis hujus.
Post has triumphans ægrimonias, fide
fausta feriabor apta.
Tunc cespitantes metiar jambos pede,
et rotatiles trochæos.

33. Fac me sicut unum.

O! quibus est patrii cultus mandatus agelli,
digni, queis felix invideatur onus.
Prandia jentatos subeunt sequiturque merendam
cœna, die varios quadruplicante cibos.
Hic saturata fames, hic me sitis ebria vexat:
ditor in hoc, quod inops non satis esse queo.
Vos lucra alunt, ego gratis agens nunc omnia perdo.
O liceat vestra conditione mori!

34. Erasmi effigies Roterodami in ponte publico.

Sancte vir officio, vir magne totuplice Phœbo,
quo superas omnes retroeundo patres,
hoc tibi, quod statuit grati dilectio civis,
æterni monumen nominis instar habes.
Scripta tuæ legimus nunquam morientia dextræ,
certat hoc ingenio stando perenne tuo,

*

33. 3 sequitur merendam Dr.

ut, qui scitur adhuc, cecidit tamen ordine fati,
ferret in æternos nomen et ora dies.

MDCXXXIX. M. Octobr.

35. Classis Batava Hispanorum victrix ductu Trumpii, M. Octobr. MDCXXXIX.

Dii maris indigetes et tu, vastissime Nereu,
qui sua magnanimis jura tueris aquis,
ponite cordatos victo super æquore fluctus;
grandius hic vestro flumine fulmen adest.
Cernitis: immensos pelagus deflagrat in ignes,
vastat et ingentes flammeus ardor aquas.
Numina, sic opus est; terris mutate profundum;
imminet hinc vestro tota ruina salo.

36. Isacii Causoboni memoriæ.

A nece vive tua, doctæ pater artis et oris
gratia, quam constat non habuisse parem.
Non moritur, docti quisquis colit ardua Pindi,
unde liquor vitæ non pereuntis abit.
Sunt ibi vivaces in jugia secula cedri,
non obeunt, quotquot nomina scripta gerunt.
Scriptus es in longa majoribus arbore signis.
Eminus a toto sic potes orbe legi.

37. Thomæ Erpenio.

Tradis in Occasum quod opes Orientis et Eurum
assuefacis Zephyro conciliasque tuo,
Auster et adverso Boreas stupet asper in axe
invidiamque novis prodit uterque minis.
Dumque tui Belgæ, quibus axis et orbis uterque
militat, ut dirimant prælia tanta, volant,
utimur interea parto tibi munere tuti
et petimus Batavis prospera bella tuis.

*

35. Trumfii Dr.

38. Excessus.

Ergo suprema dies et ineluctabilis hora
te premit, o fati mens faber ipsa tui!
Cede lubens superis et avito reddere cœlo.
Corpus adit matrem sponte suapte suam.
Terra polusque suum de me sibi sumat uterque,
relliquus ingentum per ferar ora virum.
Quod cado, naturæ, quod sic, mihi debeo. Sed quid?
Quod cado, quod cado sic, detur utrumque Deo.

In hunc libellum pertinent sequentia Epigrammata, de quibus mihi inscriptiones saltem restant.

1. Acidalii et Bucretii Poemata.
2. Joachimi Beustii, Equitis, Jurisconsulti, Poetæ, laudibus.
3. Cœnobio S. Brigittensi.
4. Mehebbeli Molla, Olearii desiderium.
5. In peplos Persicarum mulierum pasquinus.
6. Imaum salutat, cujus præcipitia Isfahano imminent.
7. Palatium mille portarum Cassanæ Persarum.
8. Dactylum alloquitur, sub qua itinere fessus sitiebat in Persia.
9. Ad punicam arborem, cujus flores et fructus simul decerpebat Cassanæ in Persia.
10. Ad nucem arborem.
11. Olearii Augustiniatus.
12. Narcissi lutei, qui mense Novembri ex Gilano in Persidem asportantur.
13. Hecatompylos, nunc Isfahan, Persarum metropolis.
14. Moschea seu domus precationum, argenteis portis, marmoreis circumcirca parietibus et stagnis alabastro contentis in foro publico Isfahanensi.
15. Vinum Schirasianum inter Persica præstantissimum.
16. Ad fontes et flumina patriæ, in quatriduano aquarum utilium defectu in itinere per deserta Tartariæ Crimeæ MDCXXXIIX. M. Jun.

*

Deperd. 16. Jul. Dr.

EPIGRAMMATUM

LIBER VIII,

SIVE

GEMMÆ.

Piissimo Devotoque M. Nicolao Von Hœvelen, Ecclesiastici Ordinis Viro Placidissimi Spiritus Homini Et Concionatori Perfecto Affini Sincero Benevolentiæ Signum Gemmas Has Chartaceas Offero Paulus Flemingus.

GEMMÆ.

1. Laudes Philippi IV. Hispaniarum et Indiarum Monarchæ Catholici.

Maxime terrarum, tęr aquarum maxime princeps,
quem colit exoriens occiduusque dies,
quaque patet vasti quadruplex area mundi,
rex pater et gemini nomen herile poli,
ex te nosce Deum, qui, dum sua temperat astra,
te dominum voluit pensilis esse globi.
Magne, sacer, venerande, potens, auguste, triumphans,
quem, regat ut populos tot, regit ipse Deus.

2. Eusebio Lasmanno desideratissimæ recordationis.

Man. V, 1.

3. Joannis Friderici Doctoris publici Lipsiani funeratio.

1629. Dec. 8.

Magne tuos inter, celeberrima nomina, Francos,
magne meos inter, nomina clara, Mysos,
te schola, te merita Philyreum laude lyceum
evehit et doctis Plissa disertus aquis.
Vita tibi lapidosa neces, mors saxea vitam
dum repetit, cuncta nos viduamur ope.
Rarus eras vivens, fractus per acerba: cathedris
mortuus, haud plane postmodo nullus eris.

4. De Henrico Friderico, fœderati Belgii defensore.

Jamque facit dubiam generosus Arausio palmam,
jure suo tritavi quam meruere sui;

pugnat hians et vincit ovans, tam faustus ut acer,
sic virtus juncta prosperitate cluit.
Quoque magis Batavus sub tam duce vincit ovali,
hoc magis et magis hoc angitur æger Iber.
Angere, victe, minus: minus hinc fors vicerit ille.
Aut, magis ut vincat, angere, victe, magis.

5. Natali Christiani L. B. A Schonburg.

Man. I, 11.

6. Fero, ut feram.

Man. III, 11.

7. Cum somniasset, se a J. G. Schilacho suo pyropo donari.

Man. II, 44.

8. Meditatio Sacra.

Solus eram dominumque tacens meditabar Amorem,
cœlite qui sanctas evibrat igne faces.
Vidit Amor solum vacuasque illapsus in ædes,
»me meditabaris, te meditabar,« ait.
Dixit et a tenso jaculum penetrabile filo
strinxit inexplicita cor hoc inerme via.
Cor dolet et memorem magis hinc meditatur Amorem.
O! quid, Amor, nostri quo mediteris, agam?

9. De Divino Amore.

Hic jaceo totus puero confossus Amore.
Vulnera quis puerum figere tanta putet?
Nec cessat sævire deus, ferit, atterit, instat.
Nec, licet ante nihil sim nisi vulnus, abit.
Victurus morior: moriturus vivo, nec æger:
quoque magis morior, vivere pergo magis.

*

9. 6 vivete Dr.

Sed tamen urge tuas, puer o sævissime, cædes.
Vulnera vulneribus sunt medicina meis.

10. Philippo Apiano, Jurium amussi.

Bartolus occubuit, periit quoque funere Baldus,
vivit in ingenio functus uterque tuo.
Nec Themis ipsa suas melius defendere leges,
quam potes ad dubias ipse probare vires.
Stat reus, exsangui damnans suus ipsemet ore,
quum loqueris; læta stat tuus aure cliens.
Bartole judicio, dictamine Balde, valete:
Bartolus hic alius, Baldus hic alter adest.

11. Henrico Hœpfnero, Theologorum sideri.

Angelus in cathedris es, es angelus in monumentis,
quæ genii calamo stant bene multa tuo,
sancte vir, Elstrani cœlo par fama lycei,
dignus in angelicum qui numerere chorum.
Sublinis hæreticos digito meliore papyros,
mox cadit a proprio labile schisma dolo.
Quis neget, angelicam quod in hoc geris orbe figuram,
angelus angelicis cum faciebus eris?

12. Joanni Hartmanno, Medicinæ vindici.

Dædala quadruplici quicquid dea digerit orbe
et capiunt regnis Junoque Disque suis,
omne tenes, omne, omne potes. Tibi militat aer
ingentemque capit mens tua dia Deum.
Dant famulas elementa manus, tibi figitur unda,
sudat et ardentes humidus ignis aquas.
Te doctore rudis quis nolit et inscius esse,
te medico quis non languidus esse velit?

*

11. 7 in hac. Dr.

13. Parodiæ Rothii.

Regnat in his tibi dum genuinus Horatius odis
subque tua vivus voce Catullus amat,
te deamant, Flaccum quot amant, quot amantque Catullum
et genium nostri temporis inde colunt.
Grande! tuo sed erat simili patrabile cordi,
grandia tam numeris nomina posse sequi:
ast simul ex atheis tam sanctas fingere mentes,
grandius hoc et erat non nisi, mysta, tuum.

14. Arndi Theologia.

Lecta placent, audita movent, bene credita servant
factaque, quæ cœli vis docet illa, beant.
Spiritus ipse Dei tacitis illabitur auris,
unde suos motus os, cor et auris habent.
Tauleri genius, pia mentis idea Lutheri,
regnat et expressus te movet, Arnde, Deus.
Utimur arte tua, qua teque tuosque beasti.
Fallere, quæ via sic est bene trita, nequit.

15. Zuberi Poemata.

Vos nativus amor, patrii vos gratia vultus
et genitiva sui flóris idea probat.
Libera composito succedunt carmina nexu,
nullus in innata cernitur arte labor.
Tale sales nudi longique a felle cachinni,
tale lepor simplex Idaque carmen amant.
Vivite, cordati stirps expressima patris,
illius in vobis vis, cor, imago sedent.

16. Augusto Buchnero, V. CL. dedicatio hymni passionalis.

1632. März.

Flevimus et planctu tristes infecimus auras
hactenus ob socii funera mœsta mei;

jam lacrymæ duplicantur aquis, duplicatur anhelans
lessus ob ipsius funera dira dei.
Flevimus et flemus mortesque flebimus ambas;
hæc gemitus mundi postulat, illa meos.
Dum legis hæc, nihil hic lepidi, vir clare, videbis.
Gaudia sub lacrymis quærere velle, nefas.

17. Gustavis Venceslai Clementis.

Invicti grave regis opus, cui militat Arctos,
quicquid et Æneæ par super orbe gerit,
unde perennantem felix sibi Mantua laudem
asserit, in similes Teuto recondit opes.
Quamque ferox meruit dextra sibi vindice palmam,
scribit et est oleæ conditor ipse suæ.
Nil superest, posthac, Teuto, quod, Martie, vincas,
et necis et vitæ victor es ipse tuæ.

18. Ad Christophorum Spitemacherum, V. ampliss.

Germanicæ in nativitatem Christi odæ dedicatio.

1631. Dec. 24.

Dum ferimus domini placitura crepundia cunis,
mulcet et infantem fusilis oda Deum,
magne vir, ad festos mecum concedito lusus
et mea cum populo judice sistra proba.
Jam sacra solemnes tranquillant otia cives,
jam sinit officii cura remissa; veni.
Submissas non sperne preces vatemque repelle.
Non mihi, sed puero gratificare Deo.

19. Tumulus Polycarpi Lyseri, summi Lipsiensium episcopi.

Man. VII, 25.

*

16. 7 nihil heic nitidi im Einzeldruck 1632. 17. Gustavus Dr.

20. Alberti Eusebii Fridlandii, exercituum imperatoriorum Imperatoris tumulus.

1634. Febr.

Cæsaris arma gerens, sed Cæsaris arma lacessens,
ipse mei merui Cæsaris arma pati.
Morte tamen cecidi cuncto memorabilis ævo.
Plus sica perfidiæ, quam meus error habet.
Consilio promptus, felix conamine Martis,
deme semel, reliquus dux sine fraude fui.
Dempta meo tua sit excandescentia, Cæsar,
sanguine, nil Deitas majus adorta velit.

21. Amico lento.

Iuro Fidem, Charitum triadem Clariasque novenas,
sique quod his majus nomen adorat humus,
si mihi post unum superat te charior alter:
dulce perit, tecum quod mihi tempus abit.
Tu tamen optantis votum frustraris amici
et cupis a duro nomen habere novum.
Collige, sis, quam justus agas, quam conscius obstes.
Si volo, quod non vis, hei! quis amicus ero?

22. Erlando Flemingo, Suedicæ nobilitatis ideæ.

Quæ tua Parrhasiis se Suedia subjicit arctis,
qua firmam sociant Eurus et Auster humum,
te levat et justo cœlos super ingerit axi;
celsius hoc vasti nil habet orbis apex.
Major es hoc animis, quo rectius inderis astris
vicinoque volat mens comes alta polo.
Quicquid ait duri vulgus de gente Trionum,
gens propior celso nulla nec ora polo.

23. Effigiem B. Catharinæ suo Oleario transmittit.

Virgo ego virgineo veniens cum munere, munus
transfero virgineo virgo poeta viro.

*

22. 1 Parrhassus Dr.

Tu memor Esthoniæ, nostro monitore dativo,
dulce quid ex ipso nomine vocis habes.
Ac, licet haut opus esse queat monuisse videri, —
nam nihil acer amor dememinisse solet, —
mitto tamen memori memor ut dem calcar amori,
qui magis ardorem dissimulando flagrat.

24. Salomoni Petrio nostro.

Nomine, doctrina, genio rationeque vitæ,
undique perfecti dona docentis habes;
illius es placidus, prudens et ab omine constans:
conveniunt animis nomina tanta tuis.
Ista tuis radians excelsior emicat annis,
dumque doces vitam, vivis, ut ipse doces.

25. Jano Nihusio, adolescentiæ flori.

Vix tibi bis septem numerantur ab omnibus anni
et totidem linguis pene disertus agis.
Teutonicæ Esthoniam, Romæ confundis Athenas,
te stupet in verbis Syrus, Hebræus, Arabs.
Ars quoque te totuplex decorat. Quid judico de te,
Jane, Meduseæ magne sititor aquæ?
A facie puerum, juvenem te verus ab annis
arbitror, arte virum judicioque senem.

Moscua Revaliam MDCXXXVI.

26. Hoc fatum meum.

Quid frangar gemitu nihil effectore, quid ira
atterar, in nullam quæ mihi prosit opem?
Vanus inutilibus vitam consumo querelis,
seu fleo, seu taceo, cor grave perstat idem.
Nil loquar in superos, dominis bonus obsequar astris.
Misceat arbitrio sors mea cuncta suo.
Quod miser aut felix tibi sis, id opinio præstat.
Qui suus est, summum næ tenet ille bonum.

*

25. 3 Roma Dr. 26. 2 prosis Dr.

27. Vestringi Superintendentis lacrymæ super poeta in somnio fusæ.

Me super ah! super ah! me quam dignissima flesti,
o pater, et quicquid sit patre suave magis.
Flos, vigor, ingenium, species, doctrina, facultas,
omnia cum vita disperiere mea.
Persia jam monet hoc, cui vix dabat Esthia mentem.
Hei! quis ait, semper somnia vana loqui?
At tibi dent faciles tot amantia sidera risus,
has quoties lacrymas defleo, chare, tuas.

28. Alexandri Sabinidis Ramanzocovii, Magni Moschorum Autocratoris nobiscum Legati ad Persarum regiam, Nominalis Schamachiæ celebratus, M. Martio MDCXXXIIX.

1638. März 18.

Pande domum, reclude fores, disjunge fenestras.
Liber in aprica sol micet æde tua.
Jussa tui Boreæ cupido confessus es Austro.
Jam simul ad patrias tendimus inde fores.
Vina jube fundi plenis spumantia cymbis,
ad lituosque Medos evacuare scyphos.
Ter bibe pro gestis, bis ter pro cœlite festo,
ter tria pro comitum pocula sorte: sat est.

29. Portæ Caspiæ Derbenses, in Lycaonia.

1638. April 7.

Æterna moles et creabilis tantum,
nec defutura seculis sequuturis,
cui longus imber et Jovis diuturnum
inefficaci fulmen imminet ira
edentulumque tempus hæret ingratis;
o laus perennis, o superstes, o vivax

*

28. 2 ede Dr.

soloque concisura sero cum mundo,
num stare perges, quando corruet cœlum?

Ibidem, in ipsis forsan Theophili parentum ædibus, Act. Apost. c. 14 et 16.

30. Fraudes.

Ille, mihi Persas qui sic laudabat et Indos,
quam mihi plorandi criminis autor erat!
Patria deserui, peregrina sequutus, at, ohe!
quam dolor et serus nunc notat ora pudor.
O scelus, o mores! vita sons plectitur error:
hic quoque quod male nil audeo velle, necor!

31. Oleario a latronibus Tagostanis libero 16. Aprilis MDCXXXIIX.

Cura Dei vigilis, genii custodia magni
et universi serius cœli favor,
qui fueras nobis longe carissimus ante,
periculis nunc charior factus tuis,
digna tuo superis suspende trophæa triumpho
risuque tutus libero laxa genas.
Nec ventura time, mala nec præsentia cura.
Assertus ipsi jam supervivis neci.

32. Jubilate, Cantate inter Tagostanos, MDCXXXIIX.

1638. April 16—23.

Nænia fit cantus noster, fit jubilus eheu!
et natat in lacrymis risus amorque suis.
Ergo fleant gemitu numquam cessante cachinnos,
quotquot in infaustas sic coiere plagas,
quotquot in infestas abiere proterviter oras,
lene suum planctu non pereunte gemant.
Pax! et ohe! sileant. Evoe hahaheque tacescant:
ah! utinam! proh! hei! væ! sine fine tonent.

33. Assimilatio.

Nasonem celebrant de ponto Tristia lævo,
de Scythico referant me mea Dura lacu.

Ille Getas inter passus sævissima planxit,
inter ego rigidos vix leviora Scythas.
Carmina Naso suæ fecit concordia sorti,
ipse patro fatis non aliena meis.
Sic canimus cadimusque simul, sed dispare fato.
Ejus ovant, mecum sed mea scripta cadunt.

34. Mastigi meo.

Mastix pessime sordidissimorum,
qui vel sunt, vel erunt, vel et fuerunt,
quid spurce vomis, ut bibas venenum?
Quid fœde bibis, ut vomas venenum?
Sic jugis vomis et bibis perennis,
immundus simul et simul modestus,
dum purgas cito, quod cito rejectas,
mastix optime sordidissimorum.

35. Ægrimonia.

Incendor extus, intus exuror foco
combustionis nescio.
Qui cuncta perdit, durat ignis in vices
et ortus et finis sui.
Flammans gelasco, palleo totus rubens,
enectus at vivo tamen.
O flamma frigidans, o ignitum gelu,
o mors superstes, usque quo?

36. Philippii Crusii, legati et oratoris Cimbrici, Nominalis quadragesimus, etc.

1638. Mai 1.

Quatuor integros, quos hic jugulavimus annos,
dum properata pigrum vota moratur iter,
illa tuæ, Crusi, lux una resuscitat auræ.
Hoc tot in annorum jus habet una dies,

*

34. Mastygi Dr., sowie auch 1 und 8 mastyx.

ac, quamvis doleam tantum periisse dierum,
lætitia tamen hac est dolor ille minor.
Labere, blanda dies, facilique relabere fato,
dumque redis, patriæ nos rediisse vide.

37. Ad Calendas Majas, MDCXXXIIX.

Non rosa, non violæ, fulvo non concolor auro
caltha, nec alba rubris lilia juncta suis;
sed rubus et nullo, bene raraque vinca, corymbo
hic sedet et duræ carduus hirtus humi.
Inter inexcultos nihil ignoratur Iberos,
quod nocet, ut scitur nil, quod oblectet agros.
Maje, nihil damus hic, tibi demus ut omnia quondam,
quum tibi de patria crinis olebit humo.

Tarcovitæ in Tagostania.

38. Excessus Alexandri Sabinidis Ramanzocovii Nisnæ Ruthenorum ad Volgam, MDCXXXIIX. M. Octobr.

Sole Ruthenorum, genio qui majus avito
numen habes, in quo desiit esse rudis
Russia. Nam docilis te fecit idea Latinum;
te simul Euclides et Ptolomæus amant.
Ergo cui toties peregrina pepercerat æstas
Persidis, a patrio frigore victus obis?
Occide, sincerum germani pectoris instar.
Noster in Allemanis, sed sine morte, jaces.

39. Martini Opitii, Germanorum Maronis, epitaphium.

1639. August.

Æterni vates, queis post oblivia rerum
contigit æternas nunc habitare domos,
surgite felices, venienti surgite vati,
grandior ad vestros non venit umbra Lares.
Callimachi genius, florentis imago Maronis,
sique quid his Latium majus et Hellas habet,

*

36. 6 latitia Dr.

vixit in hac specie: meriti date signa favoris
inque caput virides exonerate sinus.

40. Paupertas dives.

Non ut ab his apud hoc aurum mihi collucrer ævum,
carmina continua sedula scribo manu.
Absit hoc ut mediter: quid enim, rogo, turpius isto,
qui canit, ut stipem vilis Apollo ferat?
Sanctius est nomen, numen mihi sanctius ejus,
qui regit ore, novem non locat ore deas.
Quid mihi divitiæ, quid opes moriendo relictæ?
Est mihi laus cunctis carior una bonis.

In hunc librum pertinent sequentia epigrammata, quæ inter amicorum manus sunt. De quibus inscriptiones saltem apud me.

1. Lipsia, Lis pia.

2. Cynomyomachia.

3. Jacobi Augusti Thuani memoriæ.

4. Effigies Schach Abbas, gloriossissimi Persarum Regis, in rupibus ad vicum Nathans.

5. Elephas candidus, qui præterequitantem Persam, una cum mulo, cui insidebat ille, proboscide elevans in pulverem præcipitabat, Isfahani.

6. Dyllidis Armenæ concubitus.

7. Discessus le Febre Aquitani Chirurgi ab Isfahan in Bagdat.

8. Pauli Cellarii sui recordatur.

9. Leopardi et Lynces venatici Persarum.

10. Tuschlach mons inter Comum et Sabam.

11. Sylvæ, bombycum circa Reschtam Hyrcaniæ, nunc Gilam.

12. Desiderium aquarum dulcium in deserto Mogan Mediæ Areopatiæ.

13. E præsenti vitæ periculo divinæ manus injectione erepti

*

2. Cynomiomachia Dr. Fleming.

4 Junii MDCXXXIIX. in discessu a Terki; ad nobilissimum comitem Imhofium.

14. Etesias adorat in furentissimo æstu, cum transiret deserta Circassensia M. Jun. 1638.

15. In discessu a Chiselari flumine, MDCXXXIIX. ad illud ipsum.

16. Ad Hygeiam, cujus sacra peregrinando violaverat.

EPIGRAMMATUM

LIBER IX,

SIVE

LEPORES.

Viro Amplissimo Et Consultissimo Domino Johanni Schlebuschio J. U. L. Reipub. Hamburgensis Senatori Dignissimo, Sacri Sunto Lepores Mei; Manu Testor Paulus Flemingus, Magis Animo.

LEPORES.

1. Attende.

Quis doctus non esse cupit, non esse disertus?
Ah! aliquis saltem gestiat esse bonus.

2. De Joanne Secundo.

Nobilis est plastes idemque poeta Secundus.
Nobile pingit opus, nobile fingit epos.

3. In virginem tenebrionem.

Quur, quoties peteris, toties fugitiva recedis?
Non fugis, ut fugias; ut fugiare, fugis.

4. In quemdam.

Simon es, es simus simioque simillimus imo.
Si me, Sime, probas, non tibi nasus erit.

5. In Quartum.

Sensus abest cunctis, quæ scribit carmina Quartus.
Non miror, Quarto nam quoque sensus abest.

6. In Caldanum impostorem et legulejum Ferratum.

Non amo Caldanum; Ferratum non amo. Caussa est:
vendidit ille mihi verba, sed ille dedit.

*

4. 1 simillimusque.

7. De Amœna.

Omnia non vendit, licet hoc dicatur, Amœna.
Nam faciem, reliquum quæ sibi vendat, emit.

8. Ad Amicum.

Emansi, me velle tuæ licet affore cœnæ
jurarim. Nimius nempe poeta fui.

9. Ad Zoilum.

Frustra te laudo; lædis me, Zoile, frustra.
Nemo mihi poterit credere, nemo tibi.

10. In Duos.

Caussidico Boccæ fallacem præfero Planum.
Hic dare, verum isthic vendere verba solet.

11. In Crassum.

Ut reddam, das, Crasse, mihi, pro vilibus ampla.
Dic mihi, sis facilis difficilisve magis?

12. Rosa.

Qui modo coniferum flos explicat iste galerum
rubraque fatali temperat ora nive,
filius est hujus pulcerrimus iste diei
et cadit hoc ipso, quo venit ipse, die.
Hei! quod in hoc nihil est longævum tempore pulcrum!
Quam ruit in vitium nobile quodque suum!
Carpe, puella, prius quam se necet ipse, nitorem.
Dum memor es, vitam sic properare tuam.

13. Pro Studioso.

Surge, puer, dum mane rubet, dum roscidus est sol
et bibulo juvenem basiat ore diem.

*

10. 1 Boccœ Dr.

Aurea sanguineo Pallantias ardet in ortu,
mixtus et in vario purpurat axe color.
Squamiger hinc populus, volucrum gens plumipes inde
in matutinis sunt sine fine jocis.
Textor agit, faber urget; opus facit hic hoc, is illud:
Aonium pudeat non vigilare virum.

14. Optione facta.

Erubui convictus heri sub vespere sero,
quum nox fumosis fusca veniret equis.
Nunc, ubi puniceus rediit Tithonus in auras,
matutinalis plus ferit ora color,
captus eo, fateor. Quid enim mea crimina velem?
Erroris caussam vix Madagascor habet.
Evictum quid at esse nocet? pax caussa duelli est;
tela Sales, Risus signifer, hostis Amor.

15. De eadem, ad amicum.

Blanda sub hesternis ibant certamina nobis,
utraque sidereus bella movebat Amor.
Me prius armabat, mox te. Tentavimus hostes.
Vix mihi victus eras, sum tibi victus ego.
Nec mora. Secretas ridens puer ibat in auras,
rellinquens vinctos me tibi teque mihi.
Quam vinci cupias tali non rarus ab hoste!
Quam cupiam tali creber ab hoste capi!

16. Alia cum suo.

Evome fumosis duplices fornicibus ignes,
Æthna; favilliferos, Hecla, ter auge focos.
Vicimus invictum. Meriti date signa favoris.
Natali per nos statis uterque loco.
Junge manus, ut, amice, ligem. Quid, amice, moraris,
subdere laurigero brachia serva jugo?

*

14. 3 auris Dr. 15. 6 vinctos. Lies: victos.

At tibi, quum socio fuero non justus amore,
Æthna prius Thulen uret et Hecla Monam.

17. Super illa ipsa.

Adde quod audaci te non errasse profatu
asseris et culpam nil ais esse tuam.
Ludis et urbano lapsum petis usque cachinno.
Longus et in multa sum tibi voce jocus.
Promerui: culpam sed gratia prima fateri est.
Te tamen excusas fortiter usque tibi.
Rideo, si rides: si mordes, mordeo dictis.
Scilicet errantis nomen uterque sumus.

18. Super aranea.

Parva, sed ingentis structrix sinuosa figuræ,
et nimis ex operis ingeniosa tuis,
unde struis? dic, artificum tenuissima, vati,
materies thalami quæ sit et unde tui.
Aut animæ sit opus vel alendi portio ventris,
materiam superat ars operosa suam.
Non opus est, mireris, homo, quod grande, quod altum est:
maximus in minimis autor ubique patet.

19. Amico.

Gregoris apriles ut ephemeris ire calendas
admonet, assuetis tempus hoc abde jocis.
Mittimus immemorem memori tibi: libera res est,
mittere quando voles, quoque quibusque modis.
Ista die comes it festivo libera Baccho!
Hunc sibi risibilis jure Cachinnus habet.
Ludicra sint aliis male respondentia punctis:
hoc, puto, conveniunt seria nulla die.

*

19. 2. abde. Vielleicht adde. 5 und 8 die ... hoc. Vielleicht dies ... hac.

20. In Pedanum quendam.

Magnificum putat esse diu dormire pedanus;
forte sub appicto quando leone cubat;
grande, satellitibus stipatum incedere multis;
ferre preces tota plebe vidente, pium.
Dextra micat gemmis, auro riget undique corpus.
Quod facit aut loquitur, nil nisi signat opes.
Sordidius timidumque magis stolidumque pedano,
sacrilegum magis est pauperiusque nihil.

21. Eduardo Beccero, patrono veteri.

Nestor es in rostris, propriis es in ædibus Hermes
cumque tuis alios reque fideque juvas.
Hinc te civis amat, colit hinc te mellea proles.
Nec minus ac proles te vocat ille patrem.
Ipse ego, si pateris, nec honor tibi displicet ille,
non nisi te poteram jure vocare patrem.
Si pater est, isthanc genitus cui debeo vitam,
et pater, hæc cui se mens mea debet, erit.

22. Librum suum transmittit.

Dum madet et novus est et tutus ab ungue libellus,
litera dum tangi non bene sicca timet,
i, puer, atque recens veteri fer munus amico,
qui meruit nostros primus habere jocos.
I, fer, at hoc monitus: non desit spongia libro,
spongia muneribus sit quoque juncta meis.
Carmina non possunt multas mea ferre lituras.
Illorum satis est una litura neci.

23. Pœnitet eum facti, quod carminum suorum sat multa præcipitanter exusserit.

Seu, quod adhuc rude carmen erat totumque lituræ,
seu, quod eram Clarias pene perosus heras,

22. 5 defit Dr.

mersimus insontes feraliter igne papyros,
Mulciber æternas improbus hausit opes.
Hei mihi! quis furor hic? lenes ignoscite Musæ.
Millia millenis metra piabo metris.
Plaudite, carminei fatum hoc non plangite Manes;
aurea sors vestra est: igne perire nequit.

24. In quemdam, ne mihi quidem satis notum.

Ille potens furtis et nobilis arte nocendi,
inculpata boni quam gerit ora viri!
Credo parum formæ, famæ velut omnia nunquam,
hæc speciem, faciem mutat ut illa suam.
Forma viri sit fama viri. Sed ab utraque cera est.
Hanc hic ut technis aptat utramque suis!
Vane, quid intus habes? Tibi candor it omnis in ora.
Hæc tua lux tenebris fulget opaca meris.

25. Ad Cynthiam, cum Novogorodia solveret.

1634. Juli 31.

Dura diu, jam blanda meis noctambula fatis,
curre favens pulcræ nobile noctis iter.
Curre favens: renovamus iter, quod obhæsit in actu,
te medium nimiis impediendo moris.
Plena nitens totum convertis euntibus orbem;
fortunæ facies hæc melioris erit.
Sic tibi perpetuo famulentur in ordine menses
et stet ad obsequium tempus et hora tuum.

26. Super incendio in urbe Mosco, quo quadraginta millia domuum absumta perhibentur MDCXXXIII.

1634. August.

Sævit in insontem Vulcanus iniquiter urbem,
ipsa sibi caussam reddere caussa nequit.

*

25. 4 impediendo. Vermuthlich: impediente.

It Steropes, Bronti socius sociisque Pyracmon
it comes, in tantas ignea turba pyras.
Qua pede stant, cito flamma micat, coler exsilit ardor,
solvitur in nimios urbs miseranda rogos.
Dic, dea, cur tantas in te deus arsit in iras;
an quod amat Venerem Mars tuus usque suam?

27. Ad Mosquin amnem.

1634. August.

Nympha, cui surgit cognominis arduus urbis
fulgor et es tantæ vocis origo plagæ,
labere, triplicibus per ovantia mœnia muris,
labere composito, labere pura, sinu.
Nec Neglina suas, nec aquas vocet Isara mergens,
nomina servitiis bina parata tuis.
Hac puto sub specie patrium me cernere Plissum,
cui glomerant famulus Par et Elyster aquas.

28. Georgio Guilielmo Pœmero, Nobili Norico.

1634. Sept. 9.

Carmina sint scombro cibus et sint prandia blattis,
cœnet in his termes, musca, teredo, culex;
et vel aroma tenax hinc vestiat institor emptum,
sive nates olidas rancida tergat anus.
Tu tamen Aonio perfusis nectare chartis
lenius æstimium mitior hospes habes.
Conde futurorum testes horumque papyros.
Carmina forte aliquid, me moriente, manent.

29. Effigies Michaelis Fedorovicii, Russorum Autocratoris, apud Philippum Schedingum, Esthoniæ Satrapam.

1634. Sept. 17.

Quem mea Barbaricum vix non Germania credis,
mitia Rutheni Cæsaris ora vide.

Regia quam dominæ micat hic reverentia formæ!
Digna magis tanto principe nulla fuit.
Ceu Venus in facie ludit, sic blanditer horrens
fulgurat ex animis culmen herile magis.

30. Jano Bartholomæo Henslero, in discessum ejus.

Præteriere tibi primæ lanuginis anni
maturumque facit prima juventa virum.
Nec mihi forma prior rudi manet integra mente,
sed comat in dubiis ver geniale genis.
Linquis iter comitesque viæ patriamque revisis.
Pergo; nec ad charos, dum queo, tendo Lares.
Fiet, ut hoc doleam, quod non redeundo dolendus
sim mihi dissimilis dissimilisque tibi.

31. Novus Annus a MDCmo XXXVtus Novogorodiæ inter Russos celebratus.

1635. Jan. 1.

Anne, nova novus ipse mihi celebraberis urbe,
congruit auspiciis quam locus iste tuis!
Thura renascenti, comites, adolebimus ævo,
nec pia tam tetricum sacra moretur iter.
Nam, licet hæc prohibet præsens sibi solvere tempus,
ipse monet cultus nos locus esse reos.
Forte potest alio claudi felicior annus;
non alio capitur dignius ille loco.

32. Sermo panegyricus Olearii super facto ejus ad Hohlandiam naufragio MDCXXXV. M. IXbr.

1636. Jul. 31.

Fregerat Holsaticam Nerei vis improba concham,
stabat et in mediis Cimber anhelus aquis,
quum suus et satagens in spes Olearius omnes
exsilit. Hunc comitum quisque sequutus ovat.

*

30. 3 mente Dr.

Quotquot erant comitum, tot erant quoque nomina vitæ.
Omnibus unius caussa salutis erat.
Dux pie, servatis dux civibus inclyte, vitam
queis dederas, famam sic recitando dabis.

33. Ad Portas Caspias, quæ instar nubium candentium navigantibus Hyrcanum lacum eminus se aperiunt.

Caucasei montes, et tu, grandissime Corax,
primus Amazoniæ nobilitatis apex,
quos Scytha, quos Asius posuit sibi Sarmata fines,
qua procul Albanus Colchin adorat Iber,
qui genus ex ipsis producitis Alpibus usque
canaque perpetua tingitis ora nive,
ha! salvete mihi, juga Gordia, Pontica, vasta,
dum novus ad vestrum transfreto Teuto latus.

X. IXbr. MDCXXXVI. in classe Cymbrica.

34. Respicit juga Ararath, in confiniis Mediæ et Armeniæ.

1636. Nov.

Quæ juga despiciunt cœlos jam altius ipsos,
hæc aliquando putem lenta fuisse vada?
Hoc vetus affirmat creditque recentior orbis;
res in originibus scripta, Moyse, tuis.
Disco vices rerum. Quod erat mare, jugera nunc sunt,
jamque rates sulcant, quæ prius arva boves.
Conscia naufragii primi juga, quam mihi vester
mollior est durus, quo cubo, clivus aquis!

35. Alterum legatorum naufragium in Caspio lacu ad Mediam perpesso.

1636. Nov. 14.

Naufragus hic aliis iterum lassatur in undis
Cimber. Eant furiæ, Baltica Dori, tuæ.

*

34 8 duris Dr.

Caspia Dori, tuæ lacerant nos sævius iræ.
Dum gemimus, geminæ disperiere rates.
O genus, o lenem vincentia numina sexum,
quam mihi funereæ ferme fuere deæ!
Dii maris, este mares; neque post hoc credite regnum
talibus, in proprios quæ fremuere viros.

36. November classi Cimbricæ infestus.

1636. Nov. 14.

Credaris, felix aliis sis atque, Novembris
Cynthia. Diversum nos docuere vices.
Prima procellosis desperatissima nimbis
nos agit in Rigias præcipitanter aquas,
altera Venedicis allidit inhospita saxis,
mergit in Hyrcanis tertia sæva vadis.
Numina dent, alia fundamus marmora luna:
prodidit invidias ista ter ipsa suas.

37. Ad Lectorem. In albo Gramanni.

1636. Dec. 2.

Lector, ab adversa doctus potes esse tabella,
quur liber hic maculas gestet et unde suas.
Hei! liber hei! nec aqua, nec humo sat tutus, iniquas
inde notas, fures passus et inde manus.
Sis bonus et bibulæ mendas ignosce papyro
grandeque, quod potes has jam revidere, puta.
Hoc faciens, fatum reduci fac mite libello
et domino melius quodque precare suo.

Ad parietem hominis poetæ mihi semper cultissimi *, testandæ lætitiæ super ove hac perdita reducta, possessori inter meos itineris hujus amicissimos nunquam postremo, appendebam Nisowæ Medorum. IV. Non. ** Xbris. MDCXXXVI. Paulus Flemingus manu propria.

*

* Timothei Poli, V. C. Poet. Laur. et Profess. in Gymnasio Revaliensium, qui hoc sequens epigramma ad calcem albi Gramanniani, cui meum e regione locavi, exaraverat. ** VI. Non. Dr.

Si quæ non sat munda vides emblemata, lector,
delictum fractæ navis id esse, scias,
unda maris librum madefecit herumque libelli
hunc, quantum potuis, nunc reparavit herus.
Quem spectas librum picturis esse venustum,
is pulcher multo pluribus ante fuit.
Picturæ valeant. Tibi, prome Gramanne, salutis,
non noceatve solum, non noceatve salum.

Inscripsit hoc doctissimum carmen amicus ille in dicti Hartmanni Gramanni, Medici Legatorum Ducis Holsatiæ Friderici per Moscoviam ad Persas ordinarii, album. 17. Febr. 1636. post factum eorundem Legatorum cum comitatu ad Hochlandiam naufragium. Post, ubi altera navis, quam illi ipsi Legati Nisnæ Ruthenorum ad confluentes Occæ et Volgæ, impensis bene magnis, permissione ad id negotium ab universæ Russiæ imperatore impetrata, exstrui curaverant, itinere quingentorum miliarium et quod excurrit, sat moleste confecto, ad Mediæ littus inter Derbentum Bachuviumque opida, juxta Nisovam pagum, gravi et procellosa tempestate allisa, in arenis periret, isque ipse Gramannus idem album, una cum pretiosissimis quibusdam medicaminibus, horologio, et aliis, vel sola parvitate sua præstantibus, tiliaceo scriniolo cerato, aquarum metu, inclusum secum in continentem abstulisset, eo cum inditis furto privatus et ad tertiam hebdomadem ægerrime carens, tandem juxta fruticosum littus solum album per alios inventum recuperavit. Quo epigramma collimat.

38. In fronte albi recentis Gramanni mei.

I, liber, et primo melioribus utere fatis,
qui dolor est domino nunc pol! et ira suo.
Quem pater Oceanus rapidis bis traxit ab undis,
cui toties varie multa pepercit humus,
fur manus et tantæ non accusanda rapinæ
vix non spectanti callida demit hero,
i, liber, et miserum crescens ulciscere fratrem;
ipse sui vindex, viribus auctus, erit.

Nisovæ Medorum MDCXXXVI. M. Xbr.

39. In ludos camelorum, quos adornabat Novrus Beg, mercator regius, spectantibus Legatis, Nisovæ Medorum.

Excitat ingentes audax dum crapula vires
stentoreusque ferum vociferatur agon,
fertur in hostiles incondita bestia luctus.
Fumeus horribili spumat ab ore furor.
Cernere tunc, vinctos rabiem ægre infringere rictus
et lunata cavos sternere colla pedes.
Mirer, in immeritas sic bruta rigescere clades,
in se sic homines cum ratione furent?

VI. Xbr. MDCXXXVI.

40. Sibi.

Fama mihi rebus prior est, prior omnibus una,
humida quam Clario dat mihi crena vado.
Non moriar cunctus, sed sera per ora virorum
orbis in exequiis noster ovabit honor.
Rem dabit et quicquid vulgo facit esse beatum,
et Venus et Coi præsens Apollo fori.
Sin, bonus excedam, nulli malus, omnibus æquus.
Irus an, an fuerim Crœsus, ab arte colar.

41. Invidus.

Invidus in vita mors est, in morte venenum,
invidus invita nil nisi mente facit,
invidus infido merx venalissima mundo.
invidus in fida non habet urbe locum,
invidus inficias it fas, et quicquid honestum est,
invidus in facinus labilis omne ruit,
invidus in vitiis perit, ut pervixit in illis,
invidus invidia rumpitur ipse sua.

42. Studium linguarum exoticarum Olearii.

Hactenus Actæas Latio confundit Athenas
et spolium quavis artis ab arte tulit.

Nunc magis excelsos hæres tuus ardet in ausus,
Saxonia, ipse novum quo sibi sternat iter.
Quot vidit terras, quot non, idiomate prodit.
Hunc stupet, attonita cum bibit aure sonum
Lettus et Estha, Carelus et Inger, Persa, Ruthenus,
Turca, Medus, Scytha, Thrax, Tartarus, Indus, Arabs.

43. Intimo suo.

Tu novus Aonidum mercator et institor artis,
pansophiæ toto quæris in orbe decus.
Per freta, Riphææ per inhospita frigora brumæ,
diceris ad magnos visere velle sophos.
Tantarum licitator opum, mihi dulcis Amynta,
i, precor, et toto duc Oriente decus.
Relliqua suppeditat pretiosas Asia baccas,
venales sed habet Persia sola sophos.

44. Cyrum Mediæ alloquitur, in cujus ripa deambulabat.

1637. März.

Hic, ubi multa suum vel adhuc gemit Helias æstum,
Helias, arborea conspicienda coma,
Te, Cyre populifer, Germanus ab ore saluto,
quod genus alloquii scire tacendo negas.
Curre favens nostræque volens assuesce loquelæ,
Cimber in Holsatiam te feret ille suam.
Sic electra tibi Phaetusa perennia sudet
Lampetieque sinus umbret in æva tuos.

45. Ad confluentes Cyri et Araxis.

1637. März.

Hactenus unius discors prosapia lecti
curritis, hic fratres jungitis ambo manus.

*

42. 4 Saxonis ... sternit Dr. 44. 3 ab orbe Dr.

Taurigenæ soboles socioque volumine lapsæ
juncta sub Hyrcanum conditis ora sinum.
Dicite, Caspiaco crudeli dicite ponto,
ejus in his ut adhuc palleat ira genis.
Quod si fors alias redeundo subibimus oras,
illius hoc fieri, quæso, referte metu.

46. Amicitia cum Oleario ad eosdem confluentes contracta.

Jupiter e fausto nocti ridere Leone
cœperat et missis Luna silebat equis;
egressi stetimus coram, qua Cyrus Araxem
induit, alterius dum bibit alter aquas.
Nunc sed amatricum mores imitemur aquarum,
inquit Amor, medio stans ad utrumque loco.
Et bibit et bibimus fratresque vocamur abinde.
Quam mihi sobrietas, quam placet illa tibi!

47. Vinum an poetarum equus.

Non puto, nec fas est sanctas ita lædere Musas,
quæ sua frugali numine festa colunt.
Sobria sit ratio, quæ sacra poetica tractet;
Mænas agat thyrsos ebria, Bacche, tuos.
Quis cruor uvarum Clarias violaverit aras?
Pura fluit, nitidus quam bibit Othrys aquam.
Scripserit hic madidus, mihi sicca poemata rident.
Pagina per vitium diffluit uda suum.

48. Calidæ in jugis maxime præcipitibus Tauri, intra Taurisium et Ardofilam.

1637. Mai.

Nympha per ingentem decantatissima Taurum,
plurima per cujus ludit Oreas aquas,

*

48. 2 ludet Dr.

hinc cui Niphates nive candidus, inde Coathras
surgit et inde petris, tu, asper Oronta, tuis.
Sive lavas, tacitas aperis tibi sive cavernas,
sive salutiferæ digeris agmen aquæ,
sis, ubi sis et quicquid agas, dea, suscipe grates,
Cimber in hac tibi quas advena cædo petra.

49. Convivium regium, quod apparabat Persarum Rex Legationi Cimbricæ XV. Aug. MDCXXXVII Isfahani.

Jupiter e vitrea prandentes viderat aura
tot species, cœlum quæ decuere suum.
Ergo putans solito se velle comesse sub axe
assidet et cœlo nulla minora sapit.
Inde deos videt, inde deas et nectar et aurum.
Dumque bibit, mediam se videt inter humum.
Avolat hoc totique refert bene potus olympo,
qui bene convivis hinc Jovis esse vovet.

50. Pellices regiæ in iisdem epulis.

Bacchus adest et opima Ceres et amœna Voluptas
et Chorus et Jocus et Ludus et omnis Eros.
Hic Venerem quis abesse velit Venerisque puellum,
qui faciant hilari vulnera blanda gregi?
Ergo sedent species divinæ sortis et oris,
dumque vident, magis ut sic videantur, avent.
Deme, quod est hominum: nihil hic nisi cœlica cernis.
Tot faciunt homines diique deæque deos.

51. Agonistæ, qui ante conviviale theatrum congrediebantur.

Ergo caduca vides redivivæ tempora Romæ,
cum streperent unctis plena theatra viris.
Ille ferox animis, tot qui prostraverat hostes,
quam furit et plures, quos ita vincat, avet.

*

48. 4 tu, fehlt im Dr. 49. 2 colum Dr.

Saucius a nimiis resonans gemit ictibus aer
motaque funereum reddit arena diem.
Persa geret quanto posthac sua seria zelo,
ludicra si tanta serietate gerit!

52. Effigies juvenis et virginis Europeæ in eodem palatio.

Dilectæ species, patriæ felicis imago,
jam mihi quid super est? Nil nisi vulnus, agon.
Quam movet hunc animum vestræ mera gratia formæ.
Sed quoque quam parit hæc vis mihi mille neces.
Forsitan est placitum vobis hac æde locari,
dulcior est patria sed mihi nulla domus.
Statis at, et fixis me visibus angitis aut me
vos fieri, fieri vos vel avetis ego.

53. Gramanno jam viduo.

1637. Oct.

Blande comes duo per mihi plena biennia, dum fles,
flet simul ad lacrymas lacryma nostra tuas.
Dulce tuum transit, quod te velut expetis ipsum
et facit in vacuo te gemuisse toro.
Crede mihi, tuus hic meus est quoque luctus, et idem,
quod tibi dat vulnus, dat mihi casus idem.
Fer tamen, ut decet, et, velut hoc ego suffero fatum:
sic abiit, quod abest, ut rediisse queat.

54. Fraternitas cum eodem.

1637. Oct.

Pone verecundos nimium, comes optime, mores
et mihi jam pleno: frater es! ore voca.
Novimus inter nos, et totos quatuor annos
unius comites dicimur esse viæ.
Nos Livo, nos Russus, nos Persa probavit et unam
sub geminis semper sensit inesse fidem.

Frater, amor tuus hoc iter et mihi quicquid amarum est
diluit ambrosio nectareoque mero.

55. Olearii reditus ad Gramannum.

1637. Oct.

Jam tibi solicubæ pereunt, dulcissime, lunæ,
jam redeunt nivei sole nitente dies.
Abfuit ad tempus tecum quem jure dolebam,
nunc redit atque tuas se tibi reddit opes.
Pollice stringe fides et ovante fac ardua saltu,
nox eat in vigilem dimidiata diem.
Sum comes et nulli, nec sic tibi, voce secundus,
dum rubet ad nostros, quos meret ille, sales.

56. Ad Plejades ut oriantur; in itinere Persico nocturno.

Seu sitis septem seu sex, grave germen Atlantis,
nil numerus, numeri nil facit ordo mihi:
Taygete, Alcynoe Steropeque, Electra, Celeno,
cum Meropeque tui Maja marita Jovis.
Vos, decus agnati, vos pulcer Orionis ardor,
Plejades aut Hyades sitis, utrasque voco.
Vos voco, quem miseræ vigilata molestia noctis
exedit, ut, vos dum conspicer, inteream.

57. Iter per Portas Caspias.

Fama poli geminos evecta sublimis in axes,
vecta per Eoas Hesperiasque domos,
ha! salvete mihi durantis claustra metalli,
o tanti plus quam nobile regis opus.
Ad Zephyrum nostrum vestro properamus ab Euro:
pande tuos facilis, regia porta, sinus.
Nil minus in vobis, reor, est durabile ferro,
ut nihil est vestro nomine forte magis.

MDCXXXIIX. Mens. Aprili.

58. Concentus curruum Tagostanorum.

1638. April.

Panibus et Faunis placeas Satyroque bicorni
saltet et ad modulos capripes ordo tuos:
me perimis et in hac quot hiulcas aure figuras,
tela tot horribili figis acuta cruce,
musica tacta truci collidens sidera pulsu;
cui ferius stygia frangitur aura rota.
Perge tamen; dum pergo domum, dulcescit amarum.
Utque magis placeas, sis truculenta magis.

59. Stativa Legationis Cimbricæ, in transitu Tartariæ Tagostanæ Comuicorum.

1638. April 14.

Barbare, quid seriem miraris et agmen? eædem,
quæ ditant, Cimbrum, cerne, tuentur opes.
Cingimus egregio tentoria turgida vallo,
quæ Venus et Veneris Mars sobolesque tegunt.
Hinc tonat incensi flammabilis ira metalli:
fulmen hoc absentem non probat esse Jovem.
Si quæ nos extus cingunt, defendimus intus
numina: Pluton, Arin, Cyprin, Erota, Jovem.

60. Oleario galeato et loricato Hartmanno meis.

1638. Mai 13.

Prodit uterque comes, sed dispar prodit uterque
pugnaturus eques ille, sed ille pedes.
Ille ferox galea, framea ferus ille minatur;
hic cor, at hic cerebrum munit ab hoste suum.
Ite triumphantum par ante duella; sub armis
Hectoris hic vigor, hoc robur Vlyssis erat.
Dum Fortuna parat vobis, dum præmia Virtus,
ambiguum faciunt Sorsque Valorque decus.

Cum iremus per Tartariam Tagostanam Sultanis Mahmuti, prædonis inter Caspios famosissimi, M. Majo, MDCXXXIIX. ipsa pentecostes prima.

*

59. 7 defandimus Dr.

61. Dumencum Tercæ Circassensis Ruthenorum ad Caspium lacum salutat.

1638. Mai 16.

Inturbatus abi, sacri pater enthee fluctus,
et caput Hyrcano dilue dulce salo.
Jam satis est lymphas ubicunque bibisse profanas:
funde pias, sacer o! funde, bibamus aquas.
Quod si quid sordis contraximus inde malignæ,
emenda sana, lympide Mysta, manu
nosque novæ dispone viæ componeque vitæ,
quæ fluet ad nutus utraque fausta tuos.

62. Tercam ad Dumencum, terminale ad meridiem Ruthenorum municipium in Circassia, alloquitur.

1638. Mai 20.

Ultima Rutheniæ, tepidum qua dimovet Austrum,
o decus Hyrcani præsidiumque Dei,
quam tibi de pelago transmisimus ante salutem,
jam reduces coram sistimus inter humum.
Sint tibi perpetuæ felicia tempora pacis,
nympha salo nobis, nympha benigna solo.
Quemque tuis trepidare vides jam gentibus Austrum,
cum Zephyro videas mox famulare suo.

63. Ad Nymphas Præsides confluentium Tercæ, Chisilaris et Bistræ, in Circassia.

1638. Juni 5.

Numina concordes sub aquis glomerantia rixas,
o inimicitiis semper amica suis,
Terca rubens, nigra Bistra, albens Chiselari, sorores,
junge, trias, tantas junge potenter aquas.
Junge manus! timet hinc miseri gens tristis Averni,
hinc favet irato Russia cura Deo.

*

62. 2 præcidium Dr.

Audiet Eridanus vobisque libenter Olympo
cedet, et hoc Pisces flumen et Hydra bibent.

64. Inscriptio albi Simeonis Cretschmari, Lipsiani.

1638.

Hospes:

Quisquis adis, ne forte puta te cernere librum.
Ille fui, fanum nunc vocor, Ida, tuum.
Quot mihi sunt chartæ, tot fumant jugiter aræ.
Trina Charis Vestam se vocat ipsa meam.
Nec verbena deest nec aqua gravis infula sancta:
hanc Amor, ast illam mysta ministrat Eros.
Ite procul Fraudes, Astus, Glaucomata, Fuci,
stat sacer ad sanctas Candor in æde fores.

65. F. M. S. nominalem celebrat.

1638. Oct. 7.

Sis memor illius, noster Francisce, dici
et genio lætus gratificare tuo.
Hactenus es fessus, nec iter fuit otia passum;
nunc licet apposito cor recreare mero.
Duriter hesternus renuit tibi gaudia Phœbus;
crastinus ad solitum fors revocabit iter.
Sis hodie, quod es, oro, tuus, sis, oro, tuorum,
Dum potes. Haud etenim cras hodiernus eris.

In hunc librum pertinent quoque sequentia epigrammata in amicorum manibus versantia, qui rogantur, ut typographo transmittere velint, suo huic loco reponenda in alia editione.

1. Similæ Sibilenses Misnicæ.
2. Nebræ ad Unstrutam.
3. Ad caprificos, in montanis Persiæ.
4. Ad Myrtum.
5. Struthiocamelus Isfahani.
6. Amico polygamo in Perside.
7. Benderum Isfahani alloquitur.

8. Pons lapideus, elegantissimi operis, super Benderum Isfahani stratus.

9. Horti regii ibidem.

10. Duæ pyrotechniæ in area Isfahanensi, quibus donatus est Rex ab expugnatione Eruani rediens MDCXXXV.

11. Olearii Monachatus Isfahani.

12. Susanna lavans, cera formata, apud Olearium.

13. Autorganon Olearii.

14. Ludi venatici, quos adornabat Persarum Rex Legatis.

15. Onagrorum venatio.

16. Cervus, hinnuli, grues, anates, columbæ, quibus a venatione Legatos donabat Rex Persiæ.

17. Ad R. P. Melchiorem a Regibus, Carmelitam discalceatum, de ejusdem carmine in albo Olearii scripto.

18. Theatrum speculis undiquaque conspicuum, in quo lautissime excipiebat legatos Echtema Tuflat, cancellarius regni Persiæ magnus.

19. Picturæ virginum Germanæ, Turcicæ et Persicæ in eodem palatio.

20. Hydrotechniæ ibidem.

21. Choreæ mulierum saltantium in iisdem epulis.

22. In quandam Saram Rasam; ad amicum, qui illi faverat.

23. Casmini in Carabanum mutatio, ne proderetur barbaris.

24. Fictum Hartmanni crurifragium propter importunos Tagostanorum insultus.

25. Oleario suo, duplici scorpionis ictu vulnerato, de nocte feriæ secundæ Paschalis MDCXXXIIX. in Schamachia.

26. Domino de casa lutea.

27. Jentaculum; jenta culum; i ante culum; ad Morum.

28. Merenda; en merda; ad Glaucum.

29. Cœna; ah noce! o neca! ad Socium.

30. Splendida miseria.

31. Ad lacus aquæ insalubris deserti Astrachanensis, in rabidissimo æstu, die solstitii æstivi MDCXXXIIX.

*

24. importunas Dr. 29. Soccum Dr. 31. Astrachanennensis Dr.

EPIGRAMMATUM

LIBER X,

SIVE

IGNES.

Sanctiss. Et Reverenter Docto Salomoni Petrio, Theologo Jam Cimbro, Itineris Asiatici Mei Solatio, Patientiæ Et Integritatis Christianæ Speculo, Pro Merita Amicitia Et Salutariter Jucunda Quadriennali Conversatione L. M. Q. Dico D. Paulus Flemingus.

IGNES.

1. Ad Sextum.

Ut faciam breviora, mones, epigrammata, Sexte:
ut facias moneo, tu breviora simul.
Ut scribam meliora, doces, epigrammata, Sexte:
ut scribas, doceo, tu meliora simul.
Illa mones, moneo: liceat remonere monentem.
Illa doces, doceo: discere nempe potes.
Tunc meliora tibi brevioraque carmina mittam,
si meliora feres et breviora mihi.

2. Super Symbolo Zachariæ Pœpleri, Sil.

Ure Deus, ne uras.

Man. I, 10.

3. Martino Schœrkelio et Margarethæ Putscheræ. Epithalamii donati dedicatorium.

1632. Frühling.

Uda renascentis propter tilieta roseti
lusimus ingenuis seria tanta jocis.
Audiit hoc Plissus et Plissi frater, Elister,
et consanguineus Pardus utrique vado.
Audiit et patrio quivis de flumine surgens
ter, quater attonita risit amœnus aqua.
Sumite, quod cecini, solo par tempore dispar,
et placeant, magnis quæ placuere diis.

4. In Liliam, Amores J. G. Schilachi.

Man. V, 19.

5. De iisdem ad eundem.

Man. V, 20.

6. Barbaræ Joannidi Ursinæ, Veneris osculo.

Pace tua fatear, quod sentio: nomina, dulcis
Barbara, barbarie barbariora geris.
Agnomen feritas, feritas cognomen iniquat:
regnat at in facie nil nisi mite tua.
Consulis arcanas agnosco Cupidinis artes:
hac fugat, hac reduces allicit arte procos.
Effera mansueto sic nomina corpore frægit,
ut fugerere minus, quo peterere magis.

7. Elisabethæ Joannæ Westoniæ, poetriæ nobilissimæ.

Nympha per ingentem decantatissima Pindum,
nata viris palmam præripuisse suam,
et stupor et nostri nimis admiratio secli
in sexuque tuo non habitura parem:
si pudor hoc sineret nec hoc ipse timeret Apollo,
solverer in laudes, musica virgo, tuas.
Absolvisse sed hoc non incepisse sit ausum,
ne peream fatuo cum Phaetonte palam.

8. Henrico Stephano.

Fauste, cui primam merito ferat ordine palmam
artibus inferior Cynthius ipse tibi.
Quos facit ipse, suos non edit is ipse libellos:
imprimis ipse tuos, quos facis ipse, libros.
Quod si perpetuæ creduntur Apollinis artes,
quas tamen ipse sua figere nescit ope,
juro, tuas (ignosce Deus!) magis esse perennes:
hac stabili condis quas prius ipse manu.

9. Theophilo Landgravio.

Ne tamen obliti damnes me justus amoris,
ipse meus per epos se tibi sistit amor.

Parce, precor, titulo, quod epos puto tale vocandum,
quod breve vix numeros scit numerare suos.
Adde, quod a tenui rude sit, nec amabile, textu:
caussa fuit vitiis una duobus Amor.
Do breve: nam verbis effert sua plurima paucis;
do rude: nil pictum candidus ambit Amor.

10. Joanni Christophoro Lobhartzbergero, propempticum.

Man. II, 43.

11. Michaeli Scholtsio Sil. prope turbas Lipsicas MDCXXXII.

Man. III, 16.

12. Bulæi Charitilla.

1632.

Venerat ad Charites festivi mater Amoris;
audierat factas quatuor esse brevi.
Fiderat: in choreis nectentibus undique palmis
stabat et in medio parva puella choro.
Proruit alma Venus, tres dissiliere sorores,
cum niveaque manet sola puella dea.
Admovet hanc superis, quibus est Charitilla vocata:
fertur, eam Charites tres peperisse simul.

13. Tychoni Jessenio Cimbro.

1633. Jan.

Mellea Teutonici confers mihi carmina Pindi
et partem memoris me cupis esse libri.
Ingenuam cognosco manum mentemque volentis;
illud honoris opus, illud amoris erat.
O duplici mihi chare fide, quo tester amorem?
Me tuus atque meus te ferit igne focus.
Hic ferit, ille ferit: feriunt, feriantur ut ambo.
Me ferias semper sic feriere mihi.

14. In albo Joannis Sibelii, Westphali, sub persona Possessoris ex symbolo ejusdem loquitur Veritas.

Man. II, 45.

15. Jano, amico adolescenti.

Accipe dispositas concessi temporis horas,
quo volumus studiis consuluisse tuis,
Jane, piæ, quod abes, nomen lacrymabile matri,
et patris et nostri seria cura Dei.
Sic fac, et assiduam Musis bonus arrige mentem:
perficient animum numina tanta tuum.
Sic iter et quicquid pariet tibi tædia, franges,
sic potes ad patrios comptior ire lares.

16. Alectorandri Musæus vernaculus factus.

1633.

Non legis hic mersam sub aquis Athamantidos Hellen,
quamve diu Phrixo Bosphorus asper erat,
Sestus Abydon amat. Sed sic quoque Sestus Abydum
odit, in oppositas læta gemensque vices.
Hei! Leandre miser! longe sed amarior Hero!
Flebile, sed toti par pia fama solo.
Græcia vos gemuit, Latiæ flevere puellæ:
Teutones exequiis jam coiere nurus.

17. Zachariæ Jaro, amico scholico.

Scit pater Aonidum, mea qui mihi pectora replet,
ut valeam terris altior ire meis,
quam tua me pietas et honesti candor amoris
tangat et assiduis angat, ut ante, focis.
Tot periere dies, taciti periere tot anni:
tempore quod periit, crevit amore tui.
Sed quia, nunc ubi sis, quid agas, mihi noscere durum est,
lene sit ad votum flectere fata tuum.

18. Audendum est. Symb. Henrici a Bünaw.

1633. Aug.

Audendum! audendum est! sic forte Bunavius hæres
ausurus medium clamitat inter opus.
Audit et approperat celeri dea lubrica cursu,
quam penes audentes vimque decusque locant.
Ac adolescentes cernens in corpore motus,
quos juvenile velit, quosque virile decus:
quantus erit juvenis, vir quantus hic audiet olim,
si puer est ausu jam quoque talis? ait.

19. Ad quendam itinerum suorum comitem.

Ambo per ignotas juncti proficiscimur oras
et nimium comites incipiemus iter.
Tu memor es fidei per mutua fœdera nostræ.
Hanc mihi continua ceu tibi servo fidem.
Numina dent, una servemur ut ambo salute;
quæ tibi, fata mihi non meliora precor.
Prosper abis, rediturus abis: rediturus euntem
insequor. An pereunt, qui rediisse queunt?

20. Timotheus Schwirseus: sum tuus, o Jhesu Christe.

1633. Oct.

Si quod erat toto metagramma notabile cœlo,
nominis illud erat, Schwirsee magne, tui.
Terra stat, ut placeat: stat olympus, ametur ut a te.
Sum tuus: o Jhesu Christe! rotundus ais.
Non tibi terra placet, tibi non arridet olympus,
dum quid habet nomen majus utrisque tuum.

Hamburgi.

21. Andreæ Virginio Theol.

1633. Dec.

Candida surgentis, Virgini, fama Lycei,
unde potest verum discere Livo Deum,

*

20. Swirseus Dr.


image
not
available

Dum caput occiduæ crispant tibi molliter auræ
basiat et bibulum suctilis unda pedem,
præsidio, dea, nostra tuo dabo membra sopori,
quas mihi non minuant æstus et Auster opes.
Quod si dormierim nimius, dum transeat ardor,
suscitet e tepido sibilus ore tuus.

25. Marmoricidinæ juxta Arsaciam, nunc Caswin.

1637. Juni.

Transeo, sed tristis, sed amoris plenus et iræ.
Tam mihi diversæ jam nocuere vices.
Tam procul atque diu dilectis absumus arvis,
nec minus urget iter, nec minus urit amor.
Non rogo, Dii lapidum, molles mihi sitis; ut ultra
durem, me vobis assimilate, rogo.

26. Oleario ad jentaculum vocanti.

Intere bis tostam Cererem Persamque Lyæum,
divite Bandanæ pulvere sparge nucis,
cinnamaque et nitidas quicquid redolere Moluccas,
fingere quicquid Hyblam possit in ore, para.
Fercula ne ponas, nisi quæ grave tingat acetum,
multaque sint epulis cæpa piperque tuis.
Hesterno mihi quam movisti sidere picam,
non alia poteris jam removere dape.

27. Olearium Gramannumque suos pretiosissimis quibusdam in Indicis turbis spoliatos consolatur.

1637. August 7.

Par comitum ter dulce mihi, quibus aggemo juste, —
nam mihi vobiscum risus abunde fuit —
rem facitis vestris animis et nomine dignam,
si, quod abest, æquo scitis abesse Deo.

*

25. Caspin Dr.

Aurum, thesauros, gemmas et talia quæque
Sors dat, ut hæc iterum diripuisse queat.
Perdere, nancisci, duo sunt vulgaria vitæ,
illa sed est cunctis anteferenda bonis.

28. Neogamo suo, in Perside.

1637. Oct.

Diceris Armenæ certus nupsisse puellæ.
Dure, quid est aures præteriisse meas?
Scimus hoc ex aliis, quos me minus ante colebas:
affuerunt festis hi tamen, ecce, tuis.
Sed bene nesciero: satius tibi namque futurum est,
me nihil ex labiis tale bibisse tuis.
Fac tamen hoc, aliis injunge silentia linguis,
nam magis hoc sciero, quo magis ipse siles.

29. Derelictio.

1637. Oct.

Quo fugis? o comes! o veterum cynosura viarum!
ingrediar tantum te sine solus iter.
Quique tuo Cimbris abii stipatus ab arvis
pectore, nunc vacuus corde redibo tuo?
Hei mihi! cor superest, sed cor sine corpore charo:
cor gero, sed sola cor gero mente tuum,
Tuque meum. Miseri quid non timeamus amantes?
Hei! periit vitæ fons utriusque simul.

30. Infelicitates.

1637.

Hoc poterat tristi præsagus ab arbore corvus
omen et attritæ me monuisse rotæ:
venimus ad restim neque vox mihi condolet ulla:
me vocat artificem sortis et illa fabrum.
Non equidem meditabar opes, non discolor aurum,
fama mihi tantum suasit inanis onus.

*

28. 5 namque tibi. 30. 2 manuisse Dr. 6 suavit Dr.

Hæc quoque venturis mihi stabit inutilis annis,
dum peregre quod tam quærito, perdo domi.

Inter Mauros.

31. Angustiæ.

1638. April.

Claudor ab hac ab aquis Hyrcani parte profundi,
cingor ab hac Geticis continecorque jugis.
Fronte minax Scytha stat, tergo glomerantur Iberi
et comes Albano Pontica turma globo.
Extus Eris vigilat, furor excubat intus et angor;
ipse mihi variæ sum genus omne necis.
Cimber, in omne latus fatalibus obrutus iris,
Mortibus in tot te mors tamen una fugit.

In castris ad Poinacum.

32. Conscientiæ latratus.

1638. April.

Astra lacessivi, fraudavi jura, fefelli
cum genitrice patrem, cumque sorore bonos.
Hinc timor, hinc tremor hic, hinc pallor hic ora profanans,
quum monet ultoris fulmen herile Dei.
Dura nimis patior, tamen inferiora reatu:
funere debueram deteriore mori.
Omnia dum fateor, tamen eloquar omnia nunquam.
O mea quam nulla crimina morte luam!

Ibidem.

33. Anxietates.

1638.

Hinc Hyrcana sonant Albanis litora turmis:
inde crepat Scythicis Caucasus asper equis.
Ante furit latro Thrax, retro Geta prædo minatur:
undique barbaricis cingimur usque globis.
Adde, quod intestina fodit dissensio mentes
quæque foris jugulat nos necat ira domi.

Quid tamen hæc refero lente quibus itur ad Orcum?
Heus! morieris, ait, cras, hodierna fames!
M. Majo, infra Tarcoviam.

34. Ad Jacsaim amnem.

Atque amor atque odium vel nunc quoque Panis, in udam
dum cannam Syrinx versa, palustris obit,
Panis amor Syrinx quondam, nunc triste sepulcrum,
si subeunt tanti nigra sepulcra dii.
Inter arundineas si quid, dea, percipis undas,
synciput in nostram nobile profer opem.
Affer opem, dea, differ aquas, dea, transfer aventes,
et flue perpetuos, ceu fluis alta, dies.
In deserto Tagostanensi M. Majo, MDCXXXIIX.

35. Miseriæ.

1638. Mai.

Nunc aliquem tandem consortem sortis habebas,
Naso, Tomitanæ flebilis hospes humi.
Pulsus ad Euxinum fueras a Cæsare pontum:
trusit ad Hyrcanum me Jovis ira lacum.
Exul eras. Mihi væ! titulo truciore notabor:
sponte, nec ex caussa sic fugitivus eo.
Fiet, ut exilium Geticis te fregit in oris,
exitium Scyticos me necet inter agros.
Inter Tartaros.

36. Tædia itineris.

1638. Mai.

Esse meus poteram non ad servilia natus,
liber et injussæ conditionis eram.
Servio proh! patriis procul hei! procul actus ab oris
inter inhumanos, barbara corda, Scythas.

*

33. 7 hæa Dr.

Ac modo servirem Getica sors capta rapina,
promptior obsequio dexteriore forem.
Mancipor atque meo plus quam male pareo civi:
quam ferus ingenio fit homo sæpe suo!

In Tagostania.

37. Martino Munsterbergero Theologo obitum filioli unici deflenti.

Ex oriente redux Boreæ glacialis ad axem
dura suoque nimis audio digna polo!
Patria fatales nondum, dolor! exuit iras:
cum patribus patrii disperiere Lares.
Quem tot passa viæ mala, quem patienda tot angunt,
atteror ærumna perditus usque nova.
Hoc gemo filiolo carmen tibi flebile functo:
cætera, quæ minus hoc sunt tua, ploro mihi.

Astrachanæ Moscuam M. Sextili MDCXXXIIX.

38. Abrahamo Paulo Flemingo parenti, tertium sponso.

1639. März 24.

Ventilat effœtos Veneris puer integer ignes,
et tibi, chare parens, tertius ardet Hymen.
Me piger Arctophylax et tardi torpor Olympi
vix sinit in scythica membra movere nive.
Frigore totus ego, tu totus adureris æstu:
dissimilis toto filius asse patri.
Sed triplici, pater, igne cale, sociæque tibique:
debetur reduci tertia flamma mihi.

Tessaviæ ad fines Moschorum.

39. Anemonæ, suavio meo.

1639.

Erupere suos meus et tuus ardor in ignes
conjunctisque micat mutua flamma rogis,

*

37. 1 Boreœ Dr.

una mihi cunctis pretiosior unio gemmis,
o radians animæ lux Anemona meæ.
Cernit hoc et properans extinctos suscitat ignes,
hinc Amor accensis ignibus ipse perit.
o Anemona, novos semper redeamus in ignes:
qua perit, hac renovat se mea flamma nece.

40. Joanni Nihusio meo peroranti.

1639. Mai 9.

Sit tibi, cor juvenum, durabilis illa facultas,
quam pius in patriæ ponis honore tuæ.
Disseris orbis opes pariter Cimbrique labores,
quos subit et toto poscit ab orbe decus.
Quære novos calamos, majores scribe papyros,
spiret et eloquium vox tua grande magis.
Tantus ad ingentis surgis primordia curæ,
quantus in expleti fine laboris eris.

In Livonia.

41. Gramanno meo felix nubere precor Flaminius.

1639. Juni 28.

Qualis in amplexus iret tibi, candide, conjux,
hæsit in ancipiti mens tua dia diu.
Vidit hoc ultor Amor mediusque favoris et iræ
secreta tacitum cor tibi læsit acu.
Ilicet arsisti certo combustilis igne
et stetit ad thalamum Fonna serena tuum.
Stet, precor, et jaceat, tecumque diutina surgat,
Et ferat hic fructus motus abunde suos.

Revaliæ. IV. Kal. Quintiles.

42. Philippi Sidnei laudibus.

Albionis radius, terræ lux tota Britannæ,
qui procul Orcadibus Hebridibusque nites,

*

40. 1 ista facultas Dr. 7 ad incœptæ Dr.

qui, Latium quot habet, quot habet vetus Hellas amores,
Gallia quot Veneres Hesperiæque colunt,
omnes unus habes; genus arduus, inclytus arte.
Majus habet calamo nil tua terra tuo.
Stemma crepent alii, quibus est nihil amplius; in te
nobile nil minus est nobilitate tua.

43. Meursii honoribus.

Et tibi sunt faciles condendo in nomine Musæ,
jam memores cultus in sua regna tui.
Stat gravis in medio frondente acumine Pindo
palma, corymbiferæ palma propago deæ,
quaque comas aperit, statuunt super arbore carmen,
ipse quod auratis fecit Apollo notis.
»Meursius hanc meruit: pignus defendite, natæ;
donec is ad nostras evolet ipse domos.«

44. Heroica Casparis Barlæi.

1639/40.

Est aliquis tandem, quo cum, Maro maxime, palmam
jure queas merito dimidiare tuam.
Quæ vetus ad Latios cecinit Parthenius amnes,
hæc novus ad Batavas Barlæus audet aquas.
Rura canit, crepat arma, tonat fera prælia, cuncta
Virgilio similis, re, gravitate, stylo.
Mantua Virgilium, Barlæum prædicat æque
Amstelis, et palmam prædicat esse suam.

45. Petro Scriverio XXIII. M. Januar. MDCXL, in disputatione inaugurali.

Hei, ubi magnanimus generosa volumina Rhenus
sistit ad excelsæ mœnia pulchra Deæ,
publicus ad Batavas tandem sermocinor aures,
amplior a medica certus abire schola.

*

42. 3 Cui Dr. 43. 4 colymbiferæ Dr. 45. disuputatione Dr.

Da, Pater, hoc veniæ, si vox male blæsa subhæsit:
quis coram Phœbo, quæso, disertus erit?

In hunc librum pertinent sequentia epigrammata, quorum tituli saltem apud me remanserunt.

1. Diluvium Crimæ ad Muldam.
2. Magdæburgi infelicissimum fatum X. Maji. MDCXXXI.
3. Desolatio nobilissimi fortalitii ad confluentes Muldæ et Albis, prope Dessaviam Anhaltinorum, comitis Tillyi jussu.
4. Wurzenæ ad Muldam in fuga communi MDCXXXII.
5. In Momum.
6. Honos, onus.
7. Calumniatori suo.
8. Zoilo suo bonam mentem.
9. Thyrsi amores Puteani.
10. Olearii Astrolabium.
11. Incendium Mitveidæ meæ, MDCXXXV. ad Ciopum.
12. Tres uniones in crinibus pendulis Basilenæ.
13. Annulo bonæ memoriæ.
14. Ad Astrachanam, terminale Ruthenorum ad Eurum emporium in Tartaria Nagajensi.
15. Ad montana Volgæ.
16. Matura lente: festina lente.
17. Arca Nohæ reducta; ad nob. H. Gramannum, Med.
18. Bibliotheca Carmelitarum Hisfahani.
19. Sepulcrum Domini nostri ligno æmulatum, apud eosdem ibidem.
20. Fanum, quod in honorem falconis de aquila triumphantis in jugo maxime edito juxta opidulum Nathans extrui curavit Schah Tamas.
21. Theophilo a Schonberg, Legato Poloniæ ad Persarum Regem, obviam nobis in Parthia facto MDCXXXVII. M. Dec.
22. Arcus miræ altitudinis in Gilano, opus thesaurarii regii.
23. Pons nauticus undeviginti cimbarum, paulo infra confluentes Cyri et Araxis ad oppidulum Schabath, qui jungit Hyrcaniam cum Media, nunc provincias Schirvan et Mogan.

*

Dep. 1. Dilviuum Dr. 9 amoris Dr.

24. Imamculibeg Escagesi Sultanis, Legati ad Illustrissimum nostrum regii, adventus Schamachiam, fer. 2. paschali.

25. Diræ in Lycum.

26. Meo mastigi meliorem mentem.

27. Homo homini lupus, diabolus, gehenna.

28. Territæ virtutis pusillanimitas. Ad Olearium.

29. Extrema unctio Basilii Basilidis Propovi Rutheni XVII. Maji. MDCXXXIIX. infra Tarcoviam.

30. Amicæ deficienti.

31. Anemonæ gemitus.

32. Patriam videre gestit.

EPIGRAMMATUM

LIBER XI,

SEU

EPULÆ.

Doctissimo Joanni Nihusio, Summa Quæq. Capienti Ingenio, Affini Chariss. Lubenter Assigno Paulus Flemingus Doctor Medicus.

EPULÆ.

1. Christiani IV., Danicarum Insularum et Norvegiæ Regis Laudes.

Magnus avum, virtute tua rex magnus, ut hæres
illius es, dominus sic pol! es hujus; ave.
Faustus ova: toto tranquillas Nerea ponto,
paret et imperiis Tethys aquosa tuis.
Qua natat oceano placidum tua Dania magno,
